EK.—
Coll. perfect
J. Martin
50.00
58 ff.
Inv. B. 839



John Carter Brown
Library
Brown University

D 1142
(1194)

1911073

tdup

1194. **FERRI,** Alfonso. **De ligni sancti multiplici medicina et vini exhibitione.** 58 leaves. *Woodcut of the arms of Paul III on the title page.* 4to. Vellum. Rome, Bladus Asulanus, 1537. Frs.

Brunet, supplément I. 494. Harrisse, additions, 116. Editio princeps. The following passages relate to America: (F. 2:) Lignum illud quod vulgo sanctum alias indicum appellatur, ab insulis affertur in interiori oceano aetate nostra repertis unde etiam morbus Gallicus, ad nos manavit, antea nostris terris incognitus. (F. 4:) Ex novis insulis plures terre cognovimus lignum sanctum...

Nam et ex insula affertur, cui nomen inditum est sancti Joannis et ex insula sancti Dominici et ex insula sanctae crucis... The book's four chapters arc the following: De ligni sancti natura et praeparatione. De aegritudinibus a capite ad pedes. De morbo gallico. De vini exhibitione. Slight waterstains.

EK.–

ALFONSI FERRI

Neapolitani artium & medicinæ Doctoris

DE LIGNI SANCTI MVLTIPLICI MEDICINA ET VINI EXHIBITIONE



CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

Sanctiſſimo Dño. D. Paulo. III. Pont. Max. Alphonſus Ferrus chirurgus ſuus. S. P. D.

CErtiſſimum illud eſt Beatiſſime Pater, omne imperfectum ſemper appetere ſui perfectionem; Perfectum.n.idem eſt quod totum; Id vero totum eſt cui nihil deeſt, Ariſtotele autore 3. Phyſicoꝝ; Itaq; imper fectũ eſt cui partes deſunt, atq; aliquid quod ſibi competit ex ſui natura. perfectum item vt Ariſtoteles tradit 5 methaphiſices id eſt extra quod non datur aliquid accipere quod illius ſit, quare imperfectũ id eſſe neceſ ſe eſt quod extra ſe habet aliquid ſui, & quo eget ad ſui perfectionem, illudq; optat & appetit, vt ad ſuũ finẽ perueniat. finis enim cuiuſcunq; rei eſt ꝑfectio formæ ac ꝓpriæ naturæ, oĩaq; natura cõſtantia tendũt ad ſuũ finẽ, Nihilq; perfectũ eſt quod caret ꝓprio fine, vt idẽ ait Ariſtoteles. 3. Phyſicoꝝ, Sed & imperfectũ quidq; cum præſeferat potentiã tantũ & facultatẽ, Et quodcunq; eſt inpotentia tẽdat ad actũ & illũ appetat, Neceſſe eſt omne imperfectũ exoptare ſui perfectionem. Hæc me ꝑfectionis ratio impulit Sapientiſſime Pontifex, vt opus hoc ederẽ de ligni ſancti medicina, quod ea, quæ nos in ea re multa inuenimus, et ex medendi ratione, & ex frequentiſſimo vſu et experimẽtis imꝑfecta omnino viderẽtur, niſi prolata eſſent in mediũ, ad cõmunemq; adducta mortaliũ vtilitatem. Vt nõ a me ſolo pauci curẽtur noſtra opera, Sed ea literis tradita vniuerſi per illã curari poſſint, Tũ ad hãc editionẽ accẽdit nos exiſtimatio apud Poſteros noſtri nominis, Ne ſi noſtra ſtudia ſcriptis minime teſtaremur, eo vicio videremur oppreſſi, quod Plato ille Philoſophorum Deus maxime deteſtatur, in ocio vitã oẽm, ac ignauia cõterere. Hoc autẽ Opus dicauimus Nomini Tuo Clariſſimo & Immortali, Nõ id quidẽ, vt tuæ gloriæ aliquid adderemus ꝑ noſtras lucubrationes, Sed magis vt ex Tuo Nomine nos gloriã accipiamus, dũ intelligẽt cũcti me in tua eſſe clientela, dignũq; cuius opus ꝓdeat ſub Nomine Tuo. Tu aũt hilari frõte Clariſſime, ac Sanctiſſime Pontifex accipe id quodcũq; eſt muneris, tuaq; eximia illa benignitate amplectere fidi cliẽtis et famuli voluntatẽ, vt cũ tibi hos labores placuiſſe nr̃os intellexerimus, ad alia nos ſtudia accẽdas fortaſſe maiora, tuo etiam dicãda Nomini Fœliciſſimo. Vale Iuſtitiæ Culmen, Hæroum decus ampliſſimum.

RPJCB

Alfonſi Ferri Ar. & Me. Doct. de Ligni ſancti multiplici medicina, & Vini exhibitione. Libri Primi. Præfatio.

Lignum illud quod uulgo ſanctũ alias indicũ appellat̃, ab inſulis affertur in interiori oceano ætate noſtra rep tis, unde etiam morbus ille q gallicus dicitur, ad nos manauit, antea noſtris terris incognitus. In illis aũt regionibus is morbus natiuus eſt ac præter cõtagionem per ſe naſcit̃ freq̃uẽtiſſime cũ apud nos ex ſola uideat̃ fieri cõtagione. In eo morbo gentes ille præſentiſſimo remedio utunt̃ huius ligni omnesq; curant̃ hac unica medicina. Eã rem noſtri qui illic uerſant̃, animaduertẽtes, & ipſi eo remedio uſi ſunt, quicũq; in morbum gallicum inciderunt, & inde in Patriã reuertẽtes afferre ad nos cœperunt lignũ ipſum, eaq; medicina oppreſſos gallico morbo curare. Quod ubi bene atq; cũ ſalute ſucceſſit, breui ac facile id remediũ per omnes noſtras regiones receptũ eſt habitumq; pro optimo & præſentiſſimo in morbi gallici curatione, Quoniam uero in inſulis, unde lignum affert̃, non in hoc ſolo morbo adhibent ipſius ligni medicinam, ſed in alijs quamplurimis morbis ac fere in uniuerſis, illarum gentium exemplo noſtri homines edocti, ad multos alios morbos curandos eiuſdem ligni remedio uti cœperũt. Itaq; hæc eadẽ medicina ligni ſancti tam in morbo gallico q̃; in pleriſq; ſimilibus morbis, atq; etiam diuerſis, probatiſſima iam apud nos eſt, & in frequentiſſimo uſu, Nos uero pro communi hominum ſalute, ac pro noſtro officio ad hanc tam nobilem ſalutaremq; medicinam adhibentes omne ſtudium noſtrum omnemq; diligentiam, anima aduertimus & ex conſideranda rei ratione, & ex frequenti ac uaria exercitatione & uſu curationis, atque ſucceſſu, medicinam ipſam in uarijs morbis preparari & uulgo exhiberi ſine ulla medendi ratione, nulla habita uel morborum uel

 ægrotantium

ægrotantiũ conſideratione, ſed promiſcue ac ſine ullo diſ-
crimine cuiuis morbo & cuicunq; ægroto medicinã ipſam
eodem modo confici & adminiſtrari. Quæ res in perniciem
cædat ſæpius neceſſe eſt miſerorum ægrotantium, dum id
quod alicui ſaluti fuit, cœteris qui uel diuerſo morbo uel di-
uerſa diſpoſitione affecti ſunt, Cauſa fit non auferendi mor
bi ſed augendi. Itaq; nos curauimus ut ab hoc prauo uſu
medicina tam utilis & neceſſaria ad medendi artem & rectã
curationem reuocaretur. De hoc enim ligno ſancto tracta-
uimus, & cognoſcendo, & eligendo, & præparando, & exhi-
bendo, & quemadmodum quibuſq; morbis adminiſtretur,
qbuſq; cõplexionibus, Aetatibus, tẽporibus, regionibus, inue
teratis aut recẽtibus morbis, ac d' multiplici uariaq; cõfectio
ne & adminiſtratione huius medicinæ. Atq; ut res tota eſſet
promptior & manifeſtior, materiã omnẽ digeſſimus in par-
tes diſtinctas eaſq; partes titulis adnotauimus ſingulis atq;
per capita expoſuimus.

De præparatione & adminiſtratione ligni ſancti, quod non eadem ſemper ſed diuerſa debet fieri diuerſis morbis & diuerſis diſpoſitionibus. Cap. I.

QVod nos maxime mouit ad huius operis confectio
nem, id fuit quod uidimus hanc medicinã ab oibus
eodẽ modo præparari & adminiſtrari, tam diuerſis morbis
q̃ diuerſis diſpoſitionibus, quod ualde mirati ſumus obſer-
uari a medicis uniuerſis. Cum ea res tota ſit maxime contra
ria rationi, ut ligni ſancti medicina eodẽ modo confecta &
exhibita, quæ eſt eadẽ cauſa & idẽ agens, putet' poſſe curare
diuerſos morbos, & contrarios qualitatibus, itẽ diuerſas &
contrarias cõplexiones, uel diſpoſitiones corpo℞ ab intrin-
ſeco & extrinſeco, ut ætatis, noui uel ueteris morbi, regionũ
& tẽporum anni & ſimiliũ, quæ curationes corpo℞ in diuer
ſis & cõtrarijs qualitatibus & diſpoſitionibus & ſunt diuerſi

& contrarij effectus ab ipſa medicina ligni ſancti. Et quo-
modo hæc fieri ab oĩbus credita ſunt quæ fieri non poſſunt t.c.5.6.
ulla ratione. Nam ut Ariſtoteles præcipit libro.2. de
generatione & corr. Idẽ & ſimiliter habẽs ſe ſemper idẽ inna
tũ eſt facere. Et ibi Auerroes, Idẽ nõ facit contraria, Auto- ibidem
re etiã Ariſtotele qui ait contrariorꝫ contrariæ ſunt cauſæ, ibidem
Intentiones enim & operationes eiuſdẽ agẽtis neceſſe eſt ut
ſint cõformes potentijs & uirtutibus ipſius agẽtis, nec poſ-
ſunt eſſe ꝓpterea diuerſæ intentiones in medicina ligni ſan
cti, ſi illi nõ accedãt diuerſæ uirtutes per diuerſas illius præ-
parationes & adminiſtrationes. Quod ex Auerroe accepi-
mus, qui ait tertio de anima. Quũ duæ intentiones ſunt di- co. 10.
uerſæ neceſſe eſt ut uirtutes ſint diuerſæ. Quamobrem non
poteſt medicina ipſa eodẽ modo diſpoſita producere diuer
ſos curationis effectus, Nã ut Auerroes teſtat̃ ſecundo me- cap.2.
theororꝫ. Diuerſi effectus fiunt propter diuerſitatẽ ſubiecti
in diſpoſitione. Ac ꝓpterea omnino neceſſe eſt ad diuerſos
curãdi effectus ꝓducẽdos diuerſam fieri diſpoſitionẽ ipſius
ligni ſancti, per præparationes diuerſas: Ex Ariſtotelis etiã
doctrina ſecũdo Phyſic. qui ait eadẽ cauſa per ſe eſt duorꝫ t.c.8.
contrariorꝫ ſed duabus diſpoſitionibus diuerſis: Et octauo
Phyſi. nullum agens inquit in eadẽ diſpoſitione producere
poteſt effectus contrarios: Et ibi Auerroes inſup dicit quod
cũ proportio illius quod habet potẽtiam agendi duo cõtra-
ria, fuerit eadẽ ad contraria neutrũ efficiet illorꝫ. Falſo igitur
ligni ſancti medicina eodẽ modo præparata ualere credita
eſt, ad ſanãdos diuerſos morbos uel eundẽ etiam morbũ in
corporibus diuerſo modo affectis & diſpoſitis, Et ne a me- 3.ing.ſa.
dicis diſcedere uidear. Non ſolũ logici inquit Galenus ſed cap.7.
etiã methodoici euidẽter intelligunt unam omnibus naturis
medicinã neceſſario nõ cõuenire, Et quia nõ curamus homi
nẽ in cõmuni & indifferenter, ſed ut uaria ac diuerſa diſpoſi
tione affectus

tione affectus eſt homo uel intrinſeca ut diximus uel extrin ſeca. Quapropter ut hæc maxime ſalutaris medicina quæ in potẽtia eſt ad curandas diuerſas diſpoſitiones & morbos diuerſos ad actũ uere deducat̃, Et ut diuerſi effectus curatio nis, & diuerſæ opationes ex eadẽ medicina ꝓducant̃, ut ne ceſſe eſt a cauſis diuerſis. Oportet ut eidẽ ipſi medicinæ tri buamus diuerſas differentias, per diuerſas illius præparatio

libro. 2. nes, Qua re unũ farmacũ oĩbus nequaq̃ conuenire poteſt,

cap. 1. ſed oportet mediũ eſſe inquit Gale de compoſitione medi camentoꝝ, ceu ad mediã tẽperaturam aptatum ducere uero ad utranq; eius medij extremitatẽ, dum quotidiano uſu & experientia probat̃, Si ut res poſtulat confectũ ſit, in eo ma nere conſiliũ eſt, Si paulũ deficiet augere ipſius uires, quem admodũ etiam adimere cum præter modũ efficax ſit.

¶ Quod ſit lignum ſanctum. Cap. II.

OBſeruatum eſt ab Eccellentibus Medicis ut in ratione ſimplicis cuiuſq; quinq; requirant̃, Quid ſit, quale ſit eligendũ, Cuius naturæ ſit, quæ illius proprietas & operatio nes, quæ pmutatio in medicina. Hunc nos morẽ ſequemur in explicãda ligni ſancti ratione. Ac primũ oſtẽdemus quid illud ſit, id eſt quod lignum ſit hoc, quod dicimus ſanctum. Et nõ nulli quidem putãt nõ fuiſſe ignotũ antiquis medicis hoc lignum. Ipſum enim alij dicunt eſſe id quod ab Auic. karõ appellat̃, alij uero idẽ quod heſtedeen pleriq; opinant̃ non aliud eſſe, q̃ Ebenum. Hi autem, qui Ebenum credunt, argumento utunt̃ probabiliori multo q̃ cæteri, ac inſuper

t. c. 42. Ariſt. autoritate qui tradit quarto metheo. omne lignum natare in aqua, nec ſidere præter Ebenũ. Hoc autem lignũ ſanctũ nõ aliter q̃ Ebenus ſidit ac minime natat, qua ꝓpter creditum eſt idem eſſe quod Ebenus aut certe Ebeni ſpecies hactenus incognita, præſertim cũ eandem opem uideatur afferre lignũ ſanctũ quam ebenus in membris excremẽtoꝝ,

Nam &

Nam & calculos frangit, & uentris inflationẽ diſſoluit. Qui lignum ſanctũ eſſe karon putant illud afferrunt, quod hoc lignũ medet̃ morbis iũcturarũ quod ait Auic. karõ efficere. Eodẽq; fere argumẽto utunt̃ de ligno heſtedeen. Sed aliud omnino eſt hoc lignum ſanctum ꝙ uel karon uel heſtedeen. Nam karon ut Auic. præcipit confert morbis iuncturarum factis a cauſa primitiua, ut fracturis, diſtortionibus, ac luxationibus, quibus conferre par eſt, extra appoſitum, At lignũ ſanctũ conſtat medicinã eſſe antidotariã cõtagioſis morbis, intus exhibitã, nec nõ ꝙ plurimis uarijsq; morbis multiplici remedio ſubuenire, ac propterea lõge aliud eſt lignũ ſanctũ, ꝙ karõ. Sed ab his lignis, & a cæteris omnibus, quæ in aqua non ſidunt, palam eſt lignũ ſanctũ natura maxime differre, cum illa natent, hoc ſidat, Ab ebeno uero lignũ ſanctũ longe etiam differre affirmamus, quamuis illi grauitate ſimile ſit. Nam ebenus qui non fluitat niger eſt, ut manifeſtũ eſt ſenſu, Sed ligni ſãcti color nequaꝙ eſt niger, Duritie quoq; differt ab ebeno lignũ ſanctum. Nõ enim ita macerat̃ lignũ ſanctũ in aqua cæteris paribus, quemadmodũ ebenus, Cum tradat Auic. ex ebeno colliriũ fieri, præpter hæc ebenus, Si iuxtã ponat̃ ignẽ ſtatim corripit, quod minime contingit in ligno ſancto, Demũ nec tantũ odorẽ nec talẽ omnino reddit lignũ ſanctum, Si cõburatur, quantus & qualis redditur ab ebeno, Quamobrem prorſus aliud eſt, ꝙ niger ebenus lignum ſanctum, Aut fortaſſe ſpecies quedam eſt ebeni non ante cognita noſtris regionibus. Atq; ab omnibus lignis longe differt, quæ hactenus medici cognouerunt, Nam a nouo orbe noua hec ad nos uenit eximia medicina, Nec eſt mentitus Ariſtoteles. qui ſolum ebenum e lignis tradiderit, in aqua non natare, id enim de lignis ueriſſimum eſt quos noſſe potuit Ariſtoteles: Hoc autem lignnm uſq; ad noſtram ætatem fuit incognitum.

Quale ſit

¶ Quale ſit eligendum lignum ſanctum. Cap. III.

EX nouis inſulis plures ferre cognouimus lignũ ſanctũ, atq; propterea uidendum eſt ubi optimũ producatur. Nam & ex inſula affert̃, cui nomẽ inditũ eſt ſancti Ioannis, & ex inſula ſancti Dominici, & ex inſula ſanctæ Crucis, Hæ autem inſulæ ad meridiẽ omnes poſitæ ſunt, alia tamẽ alia auſtralior eſt, diſtantq; nõ parũ inter ſe ſingularꝝ paralleli: ut a geographiæ peritis illuc nauigantibus cognitũ ac traditũ eſt, Itaq; inſula ſancti Ioãnis habet Borealis poli altitudinẽ, diſtatq; illius parallelus a circulo equinoctiali gradibus uiginti cũ dimidio, Inſula ſanctæ Crucis gradibus fere decẽ & octo, Inſula ſancti Dominici gradibus tres decim, Ab hac Inſula ſancti Dominici primũ allatũ ad nos lignũ ſanctum eſt, eoq; aliquandiu medici uſi ſunt. Poſtea ab inſula ſanctæ Crucis & ſancti Iohannis afferri cœpit, Animaduerſumq; eſt optimũ eſſe quod Inſula mittit ſancti Ioãnis, idq; multo utilius eſſe, q̃ id quod naſcitur in Inſula ſancti Dominici, hoc enim aridius eſt, magisq; ſumẽtiũ corpora exiccat, illud uero ſancti Ioannis humectat corpora in calidis morbis, humidũq; radicale cõſeruat, quod experimẽto patet in aſmaticis, in pthiſicis, & hecticis, Id uero a ratione alienũ nõ eſt, ut tẽperatius ſit lignũ ex inſula ſancti Ioannis, ſiccius uero & aridius eſt in Inſula ſancti Dominici, Nam quæ orbis regiones ſubiacent æquinoctiali, aut nõ longe diſtant, nimio ſolis calore inflãmant̃, Quoniã cum præcipua caloris cauſa ſit in terra reflexus radioꝝ ſolis calefaciens infimã aeris regionem, ubi ſolis radij ex meridiano circulo uel recti uel parum obliqui terrã feriunt neceſſe eſt uehementẽ fieri reflexum aereq; infimũ maxime feruere. At in æquinoctiali circulo recti a meridiano terrã feriunt radij ſolis. Quamobrẽ inſula Diui Dominici uehementiore ſolis ardore peruritur̃, q̃ Inſula Diui Ioannis, quæ octo fere gradibus, minusq; illa diſtat ab

Martino dẽliſo autore.

æquinoctiali:

equinoctiali: Itaq; Inſula ſancti Dominici excoquit̃ euapo ratq; in ligno ſancto ex nimio æſtu ſuccus ille ſalutaris, fitq; lignũ aridũ nimis & torridũ, Contra inſula ſancti Iohannis quũ minori afficit̃ ui caloris, tum uero refrigerat̃ ſcatẽtibus undiq; aquis, nam fontes habet quãplurimos, fluminibuſq; rigat̃ uberrimis, quo fit ut ſit regio illa temperatiſſima, ſtirpesq; ferat & ex moderato aeris calore & ex terræ humidita te omnis generis præſtantiſſima in propria natura, Quare manifeſtũ eſt lignũ ſanctum optimũ, & ſaluberrimũ ex Inſu la ſancti Ioannis cõportari: Dicendũ eſt deinceps quale ſit per ſe lignũ ſanctũ eligendum: Ac primum ex arboris ætate media uim habet firmiorẽ. Tenera enim ætas cuiuſq; uegeta bilis tenuẽ ſuſcipit leuẽq; uegetationẽ, ſenectus uero prope corruptionẽ eſt, ut Auerroes ait .2. de generatione & ſecũdo c. 57. & metheo. uirtusq; ꝓpterea in ſenectute minuit̃, Qua propter cap. 1 media ætate arboris optimũ eſt lignum ſanctũ, Et ex arbo ris aũt partibus nec tenues ſurculi eligendi ſunt, nec rurſus rami admodũ craſſi & robuſti, aut etiã truncus ſed rami op timi ſunt media craſſitudine, Quãuis putẽt aliqui meliores eſſe radices, alij trũcos qui ſint radicibus proximiores, Sed nos id uerũ eſſe putamus præſertim de radice, in regionibus ubi lignũ naſcit̃, q; ibi recẽs exciſo ſuccus maior eſt radici q̃ ramis. ubi uero iã aruit, citius radices q̃ rami exiccant̃, Quã uis uero lignũ hoc ſit materia q̃ dẽſiſſime ac diu abſit a cor ruptione, Tamẽ eo melius omnino eſt, quo eſt recentius, ma iorẽq; habet ſuccũ atq; uigorẽ. Nã ſemp ãmittit neceſſario lignũ ipſum aliquid ex ſuo humore, qui cum exiguus illi ſit, ꝓpter ſiccã ipſius cõplexionẽ breui areſcit, demptoq; ſucco, in quo eſt uirtus ipſius naturalis, ãmittit propriã naturã, atq; uaneſcit, remanetq; pars terrea tãq̃ exanima, quãobrẽ recẽtiſſimũ eſt optimũ, præſertim in calidis morbis & ſiccis, nondũ exhalato humore ac ſucco illo unde operat̃, Eligat̃

igit̃ lignum ſanctũ ex Inſula ſancti Ioãnis ex arbore mediæ ætatis ramo mediocri, Tũ ſit ꝙ recẽtiſſimũ, ac ſi fieri poteſt annum non excedat, graui pondere, cortice hærenti, colore fuſcum & flauum.

¶ Cuius naturæ & cõplexionis ſit lignũ ſanctũ. Cap. IIII.

Temperatiſſimũ quidẽ eſſe natura lignũ ſanctũ, apparet ex maxima ipſius uirtute atq; operationibus, dũ ea medicina ingẽtes & ꝙ plurimi morbi curant̃ ſine læſione uexationeue lãguẽtiũ, quin magnũ ſumẽtibus præſtat alimẽtũ præter cætera ſimplicia, quoꝝ uſus eſt medẽdis corporibus humanis, Quamobrẽ licet tãtos & tã uarios effectus producat magis ex uirtute intrinſeca & ex forma ſubſtãtiali ꝙ ex qualitatibus, Tamẽ ex primis etiã qualitatibus ipſum operari neceſſe eſt, Quibus cõſtat ut diximus eſſe maxime temperatũ, atq; ex omnibus quatuor qualitatibus operari, quoniã & ægrotos ſanat, & morbos curat calidos, frigidos, humidos, & ſiccos, Nec obſtat, quod Ariſt. præcipit. 2. de generatione contrarioꝝ cõtrarias eſſe cauſas, Et Auer. primo de generatione contrariũ non accipere ſuũ contrariũ, Neq; enim ſimpliciter & abſolute diuerſos & contrarios qualitatibus morbos & ægrotos, curat lignũ, ut imperite hactenus creditum eſt, Sed uarie ac diuerſe præparatũ & alteratũ, intenſum maiori portione ligni infuſi, remiſſũ maiori aquæ infuſione, Quo pacto cõtraria poſſunt cõtingere in eodẽ ſubiecto, alterum, uidelicet in intẽſo, alterũ in remiſſo, Autore Auerroe. 4. metheo. Tẽperatiſſimæ aũt naturæ hoc lignum eſſe licet cognoſcere ex Auerr. doctrina quinto colliget, alioꝝq; Autoꝝ, ſimpliciũ qualitates indagantiũ ꝑ primas operationes, ſecũdas & tertias, Primæ uero operationes ſunt calefacere, frigefacere, ſiccare, humectare, Secũdæ ſunt quæ ex primis ꝓueniũt, ut a calido & humido molle reddi, a frigido & ſicco durũ fieri, Tertias uirtutes dicimus, quæ fiũt in ꝓprio ac deter

t.c. 56. c.47. & alibi.

t.c.4. cap.3.

minato ſubiecto

minato ſubiecto, ut prouocare urinā, educere cholerā, Et ex primis autē operationibus liquet tēperatā eſſe naturā ligni ſancti, quoniā ſumpta hæc medicina, nequaq̃ plus iuſto aut calefacit aut refrigerat, aut exiccat, aut humectat, nec unq̃ tēperiem excidit, Nō enim cōuertit̃ in calidiorē chilū, Sed in tēperatū, Tēperata uero medicina eſt ut ait Auerr. quæ cum ſumit̃ exigua portione, cōparata materiæ per illā e corpore eductæ, nō inducit affectionē extraneā in corpore Quod potiſſimū in hoc ligno reperit̃, Nunq̃ enim ægrotis etiā diu ipſum ſumētibus extraneā inducit affectionē. Ex ſecūdis item operationibus & tertijs tēperatū apparet lignū ipſum, Nā & ſtringit & laxat, & illa omnia moderate. operat̃, Et ſi uel pulmonē purgat, uel epar, uel ſi urinā prouocat, uel ſudorē educit, uel ad quodcūq; remediū adhibet̃, oīa efficit tēperate ſine læſione corpoꝝ uel moleſtia, Quapropter manifeſtū eſt ex operationibus tēperatiſſimū eſſe natura lignū ſanctum. Licet difficile credat eſſe Auerrois, medicinā inueniri in cunctis operationibus tēperatā, Sed id nos ita ſe habere & experimētis intelleximus, atq; ita nos iure affirmamus atq; præcipimus: Ariſt. enim tradit. 2. poſterioꝝ. Ex ſenſu memoriā t.c. vlti. fieri ex memoria experientiam, ex experiētia artem cōſtare. Quanq; uero temperata natura eſt, & cōplexio ligni ſancti, Tamē eſſe prædominiū ei neceſſe eſt quēadmodū ſimplicibus cūctis unius qualitatis & cōplexionis, Itaq; cōſtat apud oēs calidū & ſiccū eſſe hoc lignū, Sed nō admodū liquet cunctis quo gradu caliditatis, Nam putāt pleriq; ob maximas illius operationes ad tertiū caliditatis gradū ptingere, Nos uero affirmamus ad ſecundū tantū gradum aſcendere caliditatis, nec hanc metā caloris excedere illius naturam: Idq; probamus ex medicinæ ratione in hunc modum, Quicquid manifeſte operat̃, neq; inde nocumētū aliquod contingit in corpore eſt in. 2. gradu ꝓpriæ cōplexionis, lignū ſanctū ma-

 nifeſte operatur

Ratio ſillogiſtica. niſeſte operatur, nec tamen inde nocumentum aliqud corpori contingit, ergo lignum ſanctum eſt in. 2. gradu propriæ complexionis, Maior aſſumptio confirmatur Gal. authoritate quinto de ſimplici medicina, qui ait, Quæ ſunt in. 2. gradu complexionis hæc fieri poteſt ut calefaciant uel refrigerent, aut humectent, aut exiccent ſine corporis læſione aut moleſtia, Quod idē teſtatur Auic. fen. 2. 1. canonis doctrina. 2. Gradus inquit ſecūdus eſt, ut ſit inde operatio fortior q̄ primi, nō tū ut operationes corporis impediat, aut mutet earꝝ curſum naturalē, Niſi id fiat p accidēs, ut ſi ſæpius agat, aut multū ſit quod agit, Notādū aūt eſt id quod dicit multū, quoniā in ligni ſancti medicina, ſi magna ſit portio ligni, & aquæ parua, neceſſe eſt uigorē intēdi propriæ caliditatis, Contra aūt remitti, Minor uero aſſumptio frequenti ac manifeſta cōfirmatᷣ experiētia, dum tātas uidemus ac tam uarias illius operationes in corporibus medendis ſine ullo nocumento aut ulla pturbatione, Nam ſi tertiū caliditatis gradū hoc lignū attingeret, ægrotis tā diu ipſum ſumētibus febres omnino induceret aut inflāmationes. aliasq; affectiones noxias ex ui caloris, Quin apud eas gentes unde hoc lignū affertᷣ, Infantes (ut uulgo accepimus) corpore naſcuntᷣ plurimis puſtulis corrupto, paucosq; poſt dies ab ortu, corpus omne infici a uertice ad pedes, cuā primum uero decoctione ſumpta radicū ligni ſancti, mūdari corpuſcula, atq; abſolute ſanari paucis diebus, Et radices tamē uehemētiores ſunt reliqua arbore, infantiū uero tenera corpora & læſioni magis obnoxia, In terris quoq; noſtris, ut diximus, & operationes magis uidemus manifeſtiſſimas ligni ſancti, & nulla nocumenta. Ex quibus omnibus plane conſtat lignum ſanctum calidum & ſiccum eſſe in ſecūdo gradu, non ultra, & eſſe in uniuerſum complexionis, & naturæ temperatiſſimæ.

cap. vlti.

cap. 15.

¶De proprietate ligni ſancti & operationibus. Cap. V.

PRopriã eſſe naturã ligni ſancti, atq; cõplexionem diximus calidã & ſiccã, uerũ præclaræ huius medicinæ ingens eſt, ac multiplex uirtus & operatio, nec unius tantũ cõplexionis ægrotis ac morbis medet̃, Sed in omni operat̃ cõplexione, modo ritæ præparet̃, morboſq; atq; ægrotos curat diuerſos qualitatibus & diſpoſitionibus. Nam præter uim intrinſecã ſuæ naturæ ac formæ ſubſtãtialis, ex qualitatibus etiã operat̃, nõ tantũ calida & ſicca, ſed humida quoq;, atq; ubi opus eſt etiã frigida. Itaq; & calefacit, & exiccat, & humectat, & refrigerat, Neq; id eſt a ratione alienũ ut idem operet̃, diuerſa & cõtraria, ſi modo diuerſe diſpoſitũ operet̃, Ex Ariſtotelis, Auerroiſq; doctrina, ut ſuperius demõſtrauimus, Galenuſq; oſtendit primo de ſimplici medicina, uirtutes eſſe diuerſas in aliquo ſimplici coniunctas, Atq; in una eadẽq; medicina uim inueniri quæ calefaciat, uim quæ exiccet, uim quæ humectet, & uim quæ refrigeret. Quod idẽ cõtingit in ligno ſancto. Ipſum enim omnia hæc aptũ natũ eſt operari, ſi recte præparet̃, & exhibeat̃ pro ea qualitate, ſecũdũ quã eſt operaturꝫ. Ex portione uidelicet ligni & aquæ infuſionis ex quantitate medicinæ, & ex numero potionum. Itaq; ligni ſancti operationes magnæ ſunt atq; ſalutares, uariæ item atq; multiplices, & ex intrinſeca uirtute ſubſtãtiali, & ex oĩbus quatuor primis qualitatibus, ꝗ̃ pluriſmoſq; atq; diuerſos curat morbos, ægrotoſq; diſpoſitionibus diuerſis, ſi rite præparet̃ & exhibeat̃, ut ordine inferius explicabit̃. cap. 1. uſq; ad. 6.

¶Quæ permutatio ſit medicinæ ligni ſancti. Cap. VI.

PErmutatio medicinæ ligni ſãcti fit præcipue in morbo gallico, ut curet̃ unguẽto argẽti uiui. Quod tamen fieri debet in ueteri morbo, atq; in corpore male affecto & diſpoſito. Neq; tñ ad unctiones ueniendũ eſt priuſq̃ ex medicina ligni ſancti bis terue ſumpta, cognitum fuerit ægrotum nõ conualeſcere.

cõualeſcere. Nam hæc ligni medicina propria eſt ad morbũ
gallicũ curandũ, ac præter cæteras maxime ſalutaris, nullæq;
remanẽt ex ea corpoꝝ offenſiones. Quod minime fit ex ar-
genti uiui aut cinapri medicina. Ex qua offenſiones corpori
remanent læſionesq; ꝑpetuæ, ut nos ex longa experiẽtia co-
gnouimus, & propria diſputatione demõſtrabimus, de cina-
pro & argẽto uiuo. Minime uero quiſpiã ꝓficeret ſi his nõ
intellectis die noctuq; in hoꝝ correctione ac præparatione
laboraret. Nam argẽtũ uiuũ omnino inficit ac lædit princi-
palia mẽbra, atq; etiã cætera oſſaq; & neruos corrũpit, no-
dosq; inducit oſſibus & iuncturis: Et nos quidẽ diu laboraui
mus in argẽti uiui correptione, uſq; ad ingenioſam illius di-
ſtillationẽ, Et tamẽ nullã illius inuenimus correctionẽ, unde
corrigi omnino nõ poſſe cenſemus. Quamobrẽ ligni ſancti
medicina in morbo gallico nõ aliter cũ argẽti uiui unguento
ꝑmutãda eſt, quã ubi ea bis terue ſumpta nõ conualuit æger
& ex morbo uetuſto. At tũc demum ueniat ad unctionis me
dicinã. De qua enim nihil attinet nos hoc opere tractare, qđ
de ligno ſancto inſtitutũ eſt, præſertim cum abũde alij ſcrip
ſerint de ipſa unctione. Atq; hactenus de medicina ligni ſan
cti cõmunia quædã, ut pleriq; ueteꝝ cõſueuere, tradidimus,
Poſt hæc de uaria diuerſaq; ipſius præparatione & exhibi-
tione in uarijs diuerſisq; & diſpoſitionibus & morbis, ꝓpria
præcepta, ut ſumus polliciti, trademus ſigillatim. Ac prius
cõmunia quædam & uniuerſalia præponemus in curatione
obſeruãda. Nã ex Ariſtotelis præcepto primo phyſicoꝝ, ab
t.c.4. uľibus ad particularia ꝓcedere oportet, ut eodẽ loco teſtat̃
Auerrois & ſecundo de anima, Quoniam cõmune atq; uni-
co.1. uerſale magis notũ eſt, q̃ particulare ac ꝓpriũ, atq; ꝓpterea
conſideranda cuiuſuis rei ratione proprijs debent cõmunia
co.34. præponi, ut eodẽ loco Auerrois præcipit, Nam quæ magis
nota ſunt nobis, ea ſunt communia, quæ minus nota, ſunt

propria,ut in eodem loco tradit Ariſtoteles atq; in aliis plu- co. ſi.
rimis,ordo uero intelligendi eſt, a magis notis ad minus no
ta,intellectui, Quod Auerrois oſtendit ſecundo de genera- co.4.
tione,primo phyſicorum,ac multocies aliis locis:Iure igitur
nos in ratione multiplicis medicinæ ligni ſancti comunia
prius exponemus : Deinceps propria ſeorſum ſingula de-
mōſtrabimus.

Cur medicinæ ligni ſancti tanta uis eſt in morbis curandis. Cap. VII.

QVo magis mædicina quælibet ſimilis fit calori corporis noſtri,& ſuco uitali, atq; in eum conuertit̃ ſuccū,quū ſumit̃,eo uehementius op erat̃, tutius ac manifeſtius, Eaq; medicina pfectiſſima eſt,quæ medicū nutrimētū dici poſſit, cum in ſubſtātiā corporis conuertat̃, ut tradit Aui. cap.15.
fen.2.1. canonis.Cibus autē potusq; ſalubris ille eſt,qui ita afficit corpus nr̃um,ut in ſimilitudinem ipſius corporis,hoc eſt in ſubſtātiā cōuertat̃.quod eodē loco præcipit Aui.Hæc uero medicina ligni ſancti maxime omnium ſimilis fit ſucco uitali corporis nr̃i,atq; in eius naturā cōuertit̃,inſigneq; præbet corpori nutrimētū ſupra oēs cibos & potus, Hāc enim ex ligno potionē cum exiguo alio cibo tādiu ſumētes ægroti, ita nutriunt̃ ac ſi ex quauis alia materia,cibo ueſcerent̃,multo maiore. Nec minus nutrit potio hæc q̃ ius pulli cōſumpti.Quamobrē nil mirum eſt, Si tantū ualeat medicina hæc ad ſanādos hominum morbos,quādo tāta illi ſimilitudo eſt cum ſubſtātia corporis humani,ac præterea uim habet ſalutarē. Omnium enim natura eſt operatrix. ut tertio Tegni tradit Gal.Itaq; tā mira op erat̃ hæc potio,quoniā dum ſu-
mit̃ ut diximus,cōtinuo ac maxime inducit uirtutē ſucci ui cap.29.
talis in corpore, illumq; mirifice auget ac roborat, Tum ex propria ui ſuæ naturæ, ſimilitudineq; ſubſtātiæ corporis humani,arcet expellitq; ab ipſo corpore omne aduerſū & offici

ciens atq;

ciens atq; extraneum. Atq; ita & ratione ſui ipſius iuuātis & nocētis extranei ſemoti, ueheméter operat̃ in morbis tollendis. Purgat enim ſanguinem, & efficiētes materias reſoluit, atq; ita totius corporis membra cōualeſcunt, Imbuta enim mēbra ſtipticis pharmacijs uim ſalubrē, trāſmittunt p omne
co. 57. corpus. 3. Teg. Galeno præcipiente.

¶ Quod alij morbi, quemadmodum gallicus curentur ligno ſancto. Cap. VIII.

NOn ſolū gallicus morbus curat̃ ligni ſancti medicina, ut initio apud nos fuit illius uſus. Sed hecticæ ſalutaris eſt & podagræ, & epilepſiæ, atq; alijs morbis q̃plurimis. Nam licet effectus diuerſi differāt uel ꝓpter agens, uel pro
cap. 2. pter ſuſcipiens, ut ait Auer. 2. methcororꝫ ac ꝓpterea uideat̃ nō poſſe eadē medicina curare morbos diuerſos, aliter tamē ſe res habet, quoniā eadē medicina uarijs modis atq; diuerſe præparata & cōfecta, diuerſas accipit diſpoſitiones, ac diuerſe afficit, nec idem ſit agens, ſed multiplex & uarium, ut ſuperius eſt latius demōſtratum, Qua ꝓpter uarios parit diuerſosq; effectus in morbis curandis, Sed & gallico morbo ſæpe cōtingit iūctos eſſe, quos diximus morbos, aliosq; cōplures, atq; dum adhibita eſt ea medicina propter morbum gallicum, reddita ſalus abſoluta eſt ægrotis, ſublato tam gallico morbo, q̃ quouis alio adiuncto: quod ſi tanta uis eſt huius medicinæ, ut quēlibet morbū nō minus q̃ gallicum, auferat, multo facilius curare poteſt ſingulos ipſos morbos p ſe ſolos ſine gallico morbo. Ex dialectica illa ratione, ſi de quo magis, etiā de quo minus ut Ariſ. tradit. 2. Thopi. Quū .n. alijs morbis eſt morbus gallicus admixtus, uehemētius malū eſt curatuq; difficilius, quod addit̃ illis noxius humor cōtagionis. ualde autē difficilis cura eſt oīs morbi, qui ex cōtagione cōtingit, raroq; tollit̃ ope medicinæ. ut tertio colliget tra
cap. 7. dit Auer. Quod uero de hectica diximus curāda non eſt de

omni ſpem

omni ſpecie ipſius morbi intelligẽdum, ut ꝓprio capite infe rius exponemus. Omnino aũt id in omni morbo curãdo ſer uandũ eſt, ut cuũ alijs medicinis minime ſanant' morbi con fugiat' ad ligni ſancti medicinã ſed iã ea exponere agrediar, quæ ſeruanda ſunt in curatione, quæ per hanc medicinam perficitur.

De loco eligendo in quo curandus eſt æger. Cap. VIIII.

QVoniã expellẽdus a corpore eſt noxius humor, materiaq; morbi reſoluẽda, laxent' opus eſt apertioresq; fiãt meatus corporis, q pori appellant', ut inde effluat morbus. Quamobrẽ calido loco æger cõtinẽdus eſt dũ curat', ne frigus humores denſet, operationemq; impediat naturæ ac medicinæ. Stringit enim frigus, poriq; corporis fiunt anguſtiores. Itaq; uel natura calidus ſit locus curationis, uel arte cubiculũ calefiat, in quo æger curat', Modus tamẽ ſeruãdus eſt in loci caliditate, p cuiuſq; morbi ratione. Nã in frigidis morbis & in multo humore noxio calidiore opus eſt habita tione: In calido uero morbo & in exiguo humore, minus calidus locus eſt neceſſarius. Itaq; pro ratione & morbi & ægro ti ſedes aut magis aut minus calida adhibeatur.

De Tempore anni eligendo. Cap. X.

APtiſſimũ tẽpus eſt Ver adminiſtrãdæ huic medicinæ ligni ſancti, deinde Autumnus, ob mediã Tẽperiẽ inter calorem & frigus. Aeſtas minus utilis eſt, atq; in calidis morbis & cõplexionibus etiã pnitioſa, ob nimiã reſolutionẽ, quæ tunc facile poteſt contingere. Hyems quoq; uitãda eſt in morbis & complexionibus frigidis. Magis enim afficiun tur corpora atq; læduntur a ſimili qualitate, quam a contra ria. Si autem uis morbi atq; neceſſitas urgeat, ſœuiente etiam hyeme ita calefieri locus poteſt, ut temperies in eo ſentiatur medij ueris.

¶ De Cibatione, Et quare cibus exiguus præbendus eſt in hac curatione. Cap. XI.

QVum concoctio cibi ſit perfectio humoris generati propter actionem caloris naturalis in idoneā mate
cap. 1. riā, ut Auer. tradit. 4. metheor. cūq; decoctio ligni ſancti non facile concoquatur, ſi cum illa plenior cibus ſumeretur, non poſſet naturalis calor utrūq; ſuperare, atq; hoc pacto cōcoctio impediretur. Quapropter modicus eſt ſumendus cibus ut optime concoquatur.

¶ Cur pane ueſcendum eſt biſcocto potius quam alterius modi. Cap. XII.

BIſcocto potius, quā alio pane ueſcēdū eſt, cū decoctione ligni ſancti, quod is panis eſt maxime ſiccus, ut ſua ſiccitate diu retineat ligni decoctionē in ſtomacho, Sicci .n. ꝓpriū eſt retinere. Itaq; ne ligni decoctio ſumpta cito effluat a ſtomacho, crudaq; atq; inanis uenas permeet, Siccitate retinēda eſt panis biſcocti, Nā cum potio illa ligni humidum quid ſit, cito ad epar deflueret atq; illi admiſceretᷣ. Humidū enim ait Ariſt. 4. metheo. facile terminari, difficileq; ſiccum.
t.c. 28. Mixtio aūt & coniunctio, ut eodē libro tradit Auer. fit neceſ
cap. 1. ſario ꝓpter humidū, diuiſio & ſeparatio ꝓpter ſiccū, ut igitᷣ diu ꝑmaneat potio ligni in ſtomacho, concoquaturq; iuxta oēs cōcoctiones, atq; ita ſubueniat corpori & morbo medeatur, dū abſolute cōcocta fuerit ac iā cōcreta, cohibēda eſt & glutinādа cibo una ſumpto quā ſicciſſimo, hoc eſt pane biſcocto, Nā, ut tradit Auer. 4. metheor. Siccitas facit humidū
co: 28. accipere cōcretionē & difficultatē ſeparationis. Præterea is panis leuiſſimus eſt, ut præcipit Cælſus. 1. libro de medicina capite ſexto, Quapropter eo cibo ſtomachus minus grauatᷣ. Nec etiā ita oppilat biſcoctus panis, ut communis. Parum uero refert ſi tardius penetrat panis biſcoctus. Nam ea re nō multū ſuperatᷣ a reliquo pane, Sit tamen in ſuo genere is

panis perfectus,

panis pfectus,quinq; illis qualitatibus,quas tradit Aui. 2 canone capite pprio,hoc eſt ut ſit mundus,ſalitus,cõfectus, fermẽtatus, bene coctus. Fiat aũt ex ſimila, potiuſq; ex farina cõmuni,quoniã is utilior eſt, & magis nutrit, ut eodem loco præcipit Aui. Neq; tamẽ adeo refert ſi p biſcocto præbeat panis cõmunis,qui bene coctus ſit,pfectuſq; qualitatibus alijs, quas diximus, præſertim in cõſumptis ægrotis & in morbo calido,& cõplexione eadẽ. Non.n. ppter cõmunẽ panẽ,ſi optimus ſit, phibebit qn abſoluta fiat cõcoctio potionis ex ligno ſancto,etiã in maxime lãguidis & infirmis.

¶ De medica cibatione,quam dietam dicunt, & qualis debeat eſſe in hac cura dieta regularis, qualis reſumptiua. Cap. XIII.

DIetã regularẽ cõſtituimus in curatione ligni ſancti. ab initio ad finẽ curationis,tã in prãdio q; in cœna,panis biſcocti uncias tres,uuæ paſſæ uncias duas, amigdalarꝫ toſtarꝫ unciã unã. Si aũt paulo egentior cibi ægrotus ſit, addi poteſt uncia panis,ut quatuor unciæ ſint,& in prandio & in cœna. Dietam uero reſumptiuã ab initio curationis uſq; ad finẽ cõſtituimns carnẽ pullaſtræ,gallinæ,caponis,phaſianæ, auicularꝫ. ædorꝫ lactẽtiũ, Modus aũt erit ut tres unciæ carnis ſumant,& totidẽ panis,tã in prãdio,q; in cœna,aut ſi uł ægroti uel morbi ratio exigit, & panis & carnis unciæ quatuor. Tutius uero a carne incipiet pulli nõ coeuntis,uſq; ad ſtatũ curationis,deinceps cœteræ,quas,diximus,carnes pro arbitrio præberi poſſunt. Si aũt neceſſitas interuenerit,præbẽdũ eſt,uel cõtuſum gallinæ ſeu caponis, uel ius pulli cõſũpti ab initio ad finem curationis.

¶ Quod uarianda dieta eſt ratione uel morbi uel ægroti. Cap. XIIII.

NOn eadẽ ſemp dieta ſeruãda eſt in curatione ligni ſancti,ſeu uariãda nõnunq; eſt,& p uarietate diſpoſitionũ,

 & præcipue,

& præcipue ac maxime pro uarietate cõplexionũ & ætatũ. Pro uaria. n. ægroti diſpoſitione, ut infirmitatis ratio poſtu larit, alia erit dieta initio curationis, alia in incremẽto, alia in ſtatu, alia in declinatione, Aliqñ etiã dieta ſeruet̃ regularis, aliqñ reſumptiua, ut qualitati morbi cõueniet, & ægroti. ua- riæ enim cõplexiones & ætates uaria etiã dieta curãdæ ſunt, ſanguinei uero & cholerici quãuis ex parte cõueniãt: facilius tamẽ tolerãt inediã ſanguinei q̃ cholerici, cœteris paribus, Tum quia ſanguineus minus inflãmat̃, ꝑpter caloris tẽpe- riem. Tum quia humor in eo tardius reſoluit̃ ꝑpter humi- dã cõplexionẽ. Flegmaticis quoq; quãuis ex parte cõueniat cũ melancholicis, facilius tamẽ ꝑpter maximã humiditatẽ fert inediã flegmaticus q̃ melãcholicus, qui ſiccus eſt. ꝑpter frigiditatẽ uero flegmaticus hac re ſuperat ſanguineũ. itaq; cholericus minime oĩum eſt patiẽs inediã, ob feruorẽ & ſicci- tatẽ. Quare uaria eſſe dieta debet uariaꝝ cõplexionũ. Idẽq; obſeruãdum eſt in uarijs ætatibus. Firma enim ætas minus cruciat̃ inedia, q̃ iuuentus cæteris paribus, iuuenes minus q̃ pueri. Omnino aũt in die purgationis carne cibãdus eſt æger propter laſſitudinem quam efficit inanitio. illud tamen cure- tur ne cruditas contingat. Si uero ſtomachus imbecillior fuerit, contuſo gallinæ ſubleuet̃ tam in prãdio, q̃ in cœna. Caro aũt uel eliſſa ſit, uel aſſa ſup prunas, nulloq; inficiat̃ ſal ſamẽto, aut quouis cõdimento. Salis uero aut nihil aut per- paꝝ adhibeat̃, ne hebetet̃ aut corrũpat̃ uis atq; operatio de- coctionis ligni ſancti. Neq;. n. faſtidiũ ſtomacho timendum eſt, aut nauſea. Ipſa enim decoctio ſua uirtute ſtomachum roborat, adiuuatq; ad concoquendum.

¶ Quod æger purgãdus eſt in curatione ligni ſancti, & quotiens. Cap. XV.

IN uno quoq; morbo, qui curat̃ ligno ſancto, æger purgã dus eſt octaua quoq; die, uel ſexta, ſi multitudo apparet humoris noxij.

uide & ſale

humoris noxij. Si aũt noxius humor exiguus eſt, ſat erit duodecima fieri purgationẽ. Itaq; peritus medicus in hac re cõſiderabit qualitatẽ morbi & ægroti, & maxime humoris noxij quãtitatẽ. Hæc enim ligni decoctio digerit corporis humores, trahitq; illos ab extremis partib⁹ ad medium, uarijs modis iuxta uarias materias multo pfectius, q̃ reliquæ medicinæ. Tenues aũt humores p ſudorẽ eijcit: craſſos ad decoctionẽ facit aptiores. Itaq; ſæpius æger purgandus eſt: Sed omnino initio curationis. Intra curationẽ uero, quo die purgatio fit, nõ ſumat ægrotus Syrupũ ex ligno ſancto, nec mane nec ueſperi. In ipſa uero purgatione, & operatione medicinæ ſi fuerit acer dolor, & pungens in ſtomacho uel inteſtinis. Item ſi remiſſius medicina operabit᷑, aderitq; hebetatio: tunc præbendũ eſt ius pulli ſeu gallinæ ſine ſale, atq; cũ ſaccaro, aliaq; adhibenda ſunt adiumẽta, quibus utit᷑ medicina. Id enim nihil officit curationi ligni ſancti.

¶A quibus abſtinendus eſt ægrotus in curatione, & quæ ſeruanda. Cap. XVI.

A Coitu omnino abſtineat ægrotus tẽpore curationis. Si quis uero in uenerẽ pnior fuerit, ungant᷑ illius renes cerato aliquo frigefaciẽte, ut libido phibeat᷑, & pollutiones. Sed & peracta curatione abſtineat prorſus a uenere, ſaltẽ p triginta dies curas etiã oẽs ab ſe ſuget qui curat᷑, atq; animi moleſtias, & perturbationes. Hæc enim ut Gal. ait. 3. Tegni male afficiunt corpora, mutantq; ab ea, quæ ſecundũ naturã eſt, conſiſtentia. Is igit᷑, cui facultas eſt detineat᷑ exhilaret᷑q; amicorꝝ iucũdis ſermonibus, factis dictiſq; ridiculis, muſicæ dulcedine, rebuſq; alijs, quæ illũ uoluptate afficiant, atq; ab omni moleſtia q̃ lõgiſſime abſit. Si aũt aufugerit ſomnus ab ægroto, nimiũq; illũ uigilia uexarit, periculoſum eſt malum, atq; illi naturæ ſuccurrendũ: Nam quemadmodũ ſõnus eſt uinculũ quoddã uirtutũ corporis & confirmatio, ſic uigilia, co. 16.

quæ ſomni priuatio eſt,eneruat uirtutes ipſas, atq; diſſoluit
cap. 21 . ut Auer. de ſomno & uigilia,&.2.colliget oſtēdit. Itaq; ſomnus ꝓuocādus eſt, uel ſyrupo papaueris,uel alio adiumēto. ut aūt tutius æger curet̃,uſq; ad incremētū curationis ſemp decūbat. In ſtatu uero & declinatione,poſt matutinū ſudorē ſurgere poterit,reliquūq; diei ducere ꝓ illius arbitrio. ita tñ, ut nec frigus ſentiat,nec laſſitudinē,ob hāc igit̃ cauſā,aliaſq; plures,partiēdus eſt morbus,& curatio per quatuor tēpora, quanuis curatio breuiſſima ꝓcuret̃, quæ eſt uiginti dierum. Nam communis curatio & uſitatio eſt dieꝝ quatraginta. In curatione uero particularia localia non debent apponi loco ægrotāti, niſi poſt initiū,uel incrementum curationis. Aliter enim augeret̃ cauſa morbi coniuncta, Per totā aūt curationem nunq̃; aqua frigida æger lauet manus,nec eā tangat,ne frigiditas aquæ actiua repellendo humores ab exterioribus ad interiora, nocumētū aliquod inferat mēbris nobiliorib⁹. quare abluant̃ manus uel uino albo calido uł aqua calida.

¶De ſudore, & quæ in illo ſeruanda ſunt. Cap. XVII.

POtio ligni ſancti, ut ſuperius diximus, ſuapte natura educit ſudorem. qui initio fere curationis & incremento ſolet fieri copioſior, remiſſior uero in ſtatu & declinatione. ubi p totā curationem ab initio ad finem largior fuerit ſudor,argumentū eſt multæ morbi materiæ ac noxij humoris. Interdū tamen ſudor plurimus cōtingit ex ægroti caliditate aut ex laxitate poroꝝ,aut ex utroq; Si cui uero nō per ſe ſudor fluit,arte ꝓuocādus eſt,atq; educendus, puta latere cale facto,alboq; uino ſup inſpſo,ac plātis pedū ſuppoſito. Hoc enim adminiculo facile ſudor educit̃. Prouocādus aūt ſudor, eſt nō ſemp eodem modo. Sed aliqñ largus,aliqñ mediocris. aliqñ pexiguus. ꝓ ut cōducere uidebit̃ & morbo & ægroto. ut uero humiditas præſertim capitis nō officiat, tōdeat̃ ad cutem qui curat̃, ac poſt ſudorem ab ſummo uſq; capite ad

plantas imas

plãtas imas dilig͂eter obſtergat͛ atq; ſiccet͛. In reliquis quoq; mẽbris nulla ſudoris pars relinquat͛, ne humor ille maius af ferat nocumentum, atq; augeat morbũ. Ergo optime totum corpus ſiccet͛, ſed maxime caput.

¶ Qua forma cõficiat͛ ligni ſancti medicina. Cap. XVIII.

NOn ſunt audiẽdi, qui putãt fieri poſſe medicinã ligni ſancti p catapocia ſeu pillulas, aut etiã p paſtillos ſeu electuaria, nec etiã idonea eſt cõfectio floꝝ ipſius ligni ſãcti aut teneri arboris ſurculi ſaccaro conditi, aut ſyrupus ex ſuc co ipſoꝝ ſurculoꝝ. Hæc enim particularẽ faciunt medicinã, nec p illã mundari poſſunt reſtituiq; mẽbra uniuerſa longo atq; aſſiduo morbo affecta. Itaq; nõ tolleret͛ morbus ac par ticulari ſumptione. Neq; ſalubrior eſſet eo pacto medicina ligni ſancti cœteris uſitatis, quæ paꝝ proſunt. Quamobrem optimus modus ac ſalubrior forma medicinæ ligni ſancti eſt decoctio ipſius ligni: Ea enim eſt medicina uniuerſalis, tum maxime nutrit ſumẽtes, ut uere ſit medicũ nutrimẽtũ, quod ſuperius demõſtrauimus. Decoquendus uero ex arbore eſt, truncus mediæ craſſitudinis, mediocris ætatis, nõ mediocris ponderis, & recens, cortice maxime cõtiguo & hærẽti, colore inter fuſcũ & flauũ, ex Inſula ſancti Ioãnis, uel ſanctæ Cru cis, ut ſuperius diſſeruimus, ubi etiã oſtendimus, apud nos radicẽ arboris nõ eſſe idoneam quanuis in ſuis terris aptiſ ſima ſit ad medicinalem decoctionem.

¶ Quod longa mora fieri debeat decoctio ligni ſancti. Cap. XVIIII.

LIgnũ ſanctũ demõſtrauimus habere materiã ſiccã, den ſam & durã, Facilitas uero miſcibiliũ cõtingit ex humi do, cõtra difficultas ex ſicco. ut Auer. ait. 1. de generatione. co. 88.
Ariſtoteleſq; tradit eodẽ loco, quodq; corpus miſcibile fieri, t. co. 89.
redactũ ad humidã ſubſtãtiã. Quamobrẽ lignũ oportet diu ac longa mora decoquat͛, ut redigat͛ ad humiditatem. Atq;

etiam ut cõmiſceatᷣ aquæ decoctionis,unaq; forma liquoris fiat ex aqua & ligno,ab utroq; diuerſa. Nam quæ miſcentᷣ, corrũpunt inuicẽ intentiones & proprias qualitatibus,ut ait
t.c. 48. Ariſ.2.de generatione. Itaq; p longã decoctionẽ,lignũ ſanctum,ſublata ſiccitate ac dẽſitate,humidũ fiet, ac liquidũ &
co.48. rarũ. Quibus qualitatibus ut teſtatᷣ Auer. 1.de generatione, facile quoduis corpus in ſubſtantiam aliti conuertitur.

ℭ Quomodo præparetur lignum ſanctum ad decoctionem. Cap. XX.

VT facilius in infuſione macerari poſſit lignũ ſanctum, cultro radendũ eſt, redigendũq; in tenuiſſima ramenta Hæc ligni ramenta in aquã infuſionis mergantur in mundo uaſe. Debet aũt uas ad unũ modũ decoctionis uitreũ eſſe, ad alterũ modũ fictile ſeu teſtaceũ ut oſtẽdemus. Mora infuſionis in frigidis morbis duodecim horarũ ſit ante decoctionẽ,ut melius miſceatᷣ,opereturq; ualidius. In morbis calidis, aut breuis,aut nulla ſit mora infuſionis, ne nimis intẽſe operetur , ut ſigillatim ſuis locis exponemus.

ℭ Quomodo decoquatur lignum ſanctum & quot ſint illius decoctiones. Cap. XXI.

DEcoquitᷣ lignum ſanctũ, uno modo poſita infuſionis aqua cũ ramẽtis ligni:ut diximus,in uitreo uaſe. Hoc aũt uas uitreum cum infuſione ponitᷣ intra maius alterũ uas æneũ plenũ aqua cõmuni , medijs paleis,intra utrũq; uas ne uas uitreũ frãgatᷣ. Feruẽte uero aqua cõmuni in æneo uaſe calefacto a ſubito igne,feruet etiam atq; decoquitur infuſio in uaſe uitreo calefacto a feruenti aqua cõmuni cõſueuimus inquit Gal. 8.de ingenio calefacere olea duplici inſtrumẽto quia ſi aliter calefiant corrumpitur corũ uirtus : ſic & de ligno ſancto dicẽdũ eſt. Alter decoctionis modus eſt ſimplex, hoc eſt,ut decoctio fiat in uaſe fictili ab igne calefacto. Prior aũt decoctio,ingemino uaſe eſt uirtutis alteratiuæ,ac refrigeratiuæ, aptior

ratiuæ,aptior calidis morbis,& calidis complexionibus,hoc eſt cholericis & ſanguineis . Altera decoctio ſimplex in uaſe teſtaceo eſt calefactiuæ magis uirtutis, frigidis morbis idonea,& frigidis cõplexionibus, flegmaticis & melancholicis . Quoniam uero ſuperius diximus lõga mora decoqui oportere lignum ſanctum , id animaduertendum præcipimus , non omnibus morbis & ægrotis eiuſdem moræ decoctionem cõuenire,Sed alijs maioris moræ,alijs minoris. Quamobrem gradus conſtituendi ſunt in ipſa decoctione, ut uerbi cauſa,primus gradus decoctionis ſit, quum decoctio remaneat unius libræ , Secundus , nouem unciarum , Tertius unciarum ſex aut ſeptem, & ita deinceps. Decoctio autem non ſimplex aut unica fit. Sed duæ,ac tres fiunt, Eademq; ramenta ligni,facta prima decoctione,atq; cõpreſſa & ꝑcolata, iterũ ponunt̃ in aquã infuſionis & fit ſecunda decoctio atq; iterũ cõprimuntur & collantur, tum tertio , ſi opus erit, ponũtur in aquam infuſionis,& fiat tertia decoctio. Prima uero decoctio dicit̃ ſyrupus ſeu prima aqua ligni, Secũda, ſecũda aqua, Tertia,tertia aqua. Syrupus autem ſeu prima aqua ligni magis eſt calefactiua ad morbos apta & complexiones frigidas, Secunda aqua eſt alteratiua magis & refrigeratiua calidis cõplexionibus & morbis adhibẽda. Initio aũt autunni,& ultimo uere,tertio quoq; die,aut etiã altero,decoctio eſt cõficienda , quoniã calore anni celeriter corrumpitur. Hyeme uero ſat eſt,ut quarto quoq; die uel quinto, aut ſexto cõficiatur. Ob frigus.n. nõ ita facile putreſcit. Quare hyeme libra integra fiat decoctionis calidiore anni tempore ſemilibra. Atq; hoc modo fit decoctio ligni ſancti .

¶ An in decoctione ligni ſancti,alia decoquenda ſint una cum ipſo ligno . Cap. XXII.

IN fine curationis , in complexionibus calidis , decoqui poſſunt cum ligno ſancto frigidæ herbæ,ut cicorea, endi

uia, bugloſſa hortenſis, quam, borraginem dicunt, aliæq; id genus. Id uero fit ad refrigerandam iecoris caliditatem, totiuſq; ſãguineæ habitudinis. Quod aut de fine curationis diximus, idem fieri poteſt non tantum in actu preſeruatiuo, ſed etiam in curatiuo, præſertim in aliqua diſcraſia iecoris, atq; in alijs maxime quorum tibiæ puſtulis ulcerantur, quibus ſola ſubuenit ligni ſancti medicina. In hac autem decoctione in qua herbæ admixtæ ſunt, idem ritus ſeruandus eſt & regula de dieta, potione & cœteris quæ ad curationem abſolutam pertinent ligni ſancti.

¶ Quod uario gradu & intenſione decoctio facienda eſt ligni ſancti. Cap. XXIII.

MOra decoquendi, atq; gradus, quos diximus decoctionis, diuerſi eſſe debent, frigido anni tempore, & calido. cœteris paribus. Nam hyeme intenſior debet fieri decoctio, & maiore gradu, uere atq; autunno, minore gradu atq; remiſſior. In temporibus item curationis, hoc eſt initio, incrementoq;, ſtatu, & declinatione, non idem ſeruetur modus decoctionis in paribus morbis & ægrotis. In uarijs quoq; morbis, uarijs ætatibus, uarijs cõplexionibus, uarius debet omnino eſſe gradus decoctionis, ut ſigillatim inferius exponemus. Nihil uero refert, quod aiunt, gentes illas, apud quas naſcitur lignum ſanctum, eodem ſemper modo ac ſine ullo diſcrimine conficere ac ſumere hanc potionem. Nam imperiti illi ſunt artis medicinæ, ac rationis. uel forte quoniam recens lignum decoquunt, ſalutaris eſt ea medicina, quocunq; alio modo conficiatur. uel quia in illis regionibus antidotaria medicina eſt lignum ſanctum, uel quod incredibilius eſt, decoctionem conficiunt admodum temperatam, ut in omni tempore anni ſubueniat ægrotis, omni ætati, omni morbo, omniq; complexioni.

¶Quibus horis Syrupus ligni ſancti ſumendus ſit. Cap. XXIIII.

SYrupus ligni ſancti ſumendus eſt ægrotantibus & mane & ueſperi. Ante prandium uero & ante cœnam ſumatur, tanto temporis ſpatio, quanto opus eſt, ut concoqui poſſit, pro ſtomacho uel firmo uel imbecillo. Atq; magnopere errarunt, qui præbendum ſyrupum arbitrati ſunt poſt cibum ſecunda hora. Ea enim res aduerſat̃ rationi totius medicinæ. Quare tempus concoctionis ſyrupi ſit circiter quatuor horarum ante prandium & cœnam, plus, minus, prout uires concoquendi & ſyrupi quantitas exegerit. Si autem morbus in cerebro ſit, tunc ſyrupus poſt cibum præbeatur ut ſuis locis declarabimus.

¶Quod non eadem ſemper quantitas & qualitas ſyrupi ſumenda eſt. Cap. XXV.

NOn eadem quantitate ſyrupus præberi debet omnibus temporibus curationis. Sed a paucitate incipiendum eſt, paulatimq; quãtitas augẽda. Natura enim nõ fert, repentinas mutationes, ut. 3. Tegni præcipit Gal. Quare co. 23.
imbecillis ægrotis præbeantur unciæ tres ſyrupi mane, tantumdemq; ueſperi, in incremento, quatuor, in ſtatu & declinatione ſex. Aliquãdo uero præbeat̃ ſyrupus aut tñ mane aut tãtum ueſperi, Si aut ualde nauſeans fuerit ægrotus, aut ſtomacho nimis imbecillo, ut fieri non poſſint omnes decoctiones neceſſariæ. Itaq; animaduertendus hic modus eſt ab ijs qui curam gerunt ægrotantis. Sed & ætatis ratio habenda eſt in quantitate potionis, & complexionis, & in uniuerſum totius diſpoſitionis cuiuſq; ægroti, ut modus quantitatis ſeruetur in unoquoq;. Hæc uero nos ſuis locis ſingula exponemus. Quod autem de quantitate diximus potionis, idem omnino ſeruandum eſt de qualitate, hoc eſt de gradu & intenſione decoctionis.

¶ Quid agendum ſit ſtomacho nauſeante. Cap. XXVI.

SI cui aſſidua nauſea contingerit, non eſt propterea dimittenda incœpta curatio. Nam paulatim atq; in dies nauſea minuetur, ſemperq; ſtomachus robuſtior fiet. Si autem eueniat nauſea ex innata ſtomaci caliditate, tunc ſyrupum & aquam, aut eorum alterum, ut morbus & ægroti diſpoſitio exegerit, ad frigiditatem oportet reuocare, ut minore gradu fiat, & remiſſior decoctio. Vt uero amaror ille frangatur ſyrupi uel aquæ ſecundæ, admiſceri poſſunt, aut coriandri præparati, aut ſaccarum roſaceū, aut aliud tale, quod & amarorem minuat, & conueniat morbo, & ægroto.

¶ Quod intermittenda eſt aliquando potio ligni ſancti aliquando etiam dimittenda. Cap. XXVII.

INitio curationis, in quibus morbis dolores ſunt, augeri potius q̄ minui ſolent dolores ipſi, ob agitationem factam in humoribus, ex ligni operatione. Neq; propterea eſt curatio intermittenda. Nam ſalus omnino futura eſt procedente ſemper atq; operante uirtute medicinæ. Nam, ut ait
co. 11. Auer. 4. metheo. effectus augetur ex operatione inquiete, ac ſæpe conualeſcit ægrotus non paruo tempore poſt curationem. Si autem aliquod accidēs intra curationem acceſſerit, puta, febris, uel deſtillatio ſeu catarrus, præberi poteſt pro ſyrupo, aqua ſecunda alteratiua in hora cibi, aut intermittenda eſt ad tempus potio ligni ſancti, & ſublato accidente, reſumenda. At ſi perſeuerauerit accidens illud, atq; periculo timetur, dimittatur omnino curatio ligni ſancti: Cum uero inerit aliquod nocumentum internum in ſpiritualibus uel nutritiuis, & aliæ tamen aderūt intentiones medendi per ſyrupos, & electuaria, & alia ſimilia, tunc non eſt relinquenda potio ligni ſancti, ſed præbenda cum alijs illis medicamentis, ut

mentis,ut ſubueniatur maxime interiori nocumento. Ita tamen ut quotidie, ſed ſemel tantum ſumatur ſyrupus ligni, aut aqua ſecunda ſola in potu loco uini, quæ aqua uel intenſæ decoctionis ſit,uel remiſſæ,ad calefaciendum,uel alterãdum ut conueniet morbo & ægroto. Atq; hunc nos modum curationis experti ſæpe ſumus fœlici rerum euentu.

¶Quo pacto adminiſtret medicina ligni ſancti in morbo gallico. Cap. XXVIII.

SI morbus gallicus recens fuerit,nec tres menſes exceſſerit,ſola humectatione opus eſt, & mundatione, atq; recreatione membrorum. Quod fit per potionem ligni ſancti alteratiuam,& refrigeratiuam. Nam ſi in recenti morbo intenſiorem decoctionem præberemus,& calefactiuam, quod fieri debet in ueteri morbo,proculdubio recens ipſe morbus deterior fieret,& augeretur. Calefactiua enim decoctio ligni, quæ,ut diximus, ueteri conuenit morbo, ſua uirtute aperitiua,in morbo recenti auget dolores iuncturarum, uomicas excitat oſſuoſas, membra principalia inflammat, infectaq; dimouet a naturali temperamento, ac totum corpus uexat grauiſſimis accidentibus. Quæ omnia contingunt ex intemperata decoctione ob nimiam illius intenſionem & caliditatem. Itaq; diuerſa eſt ratio præbẽdæ potionis ligni ſancti in ueteri morbo gallico,& recenti, ut ſuis locis ſigillatim exponemus. Quum uero in hoc morbo ulcera ſunt oris, aliorũue membrorũ, dum curatio fit per lignum ſanctum,mederi ulceribus poſſumus interea unctione cum mercurio & ligno ſancto. Et in oris quidem ulceribus ea unctione ſeptem dies collum ungendum eſt. In alijs uero membris circum ipſa tantum ulcera ungatur mane & ueſperi. Si autem unguẽti caliditas officeret ulceribus,alia poterit unctio adhiberi frigidior, alterans & exiccans, mundatis prius ulceribus. De his uero latius inferius, ac ſigillatim præcipiemus.

Quæ poſt

Quæ poſt curationem ligni ſancti ſeruanda ſunt.

Cap. XXVIIII.

PEracta in quouis morbo curatione ligni ſancti, ad eum modum, qui eſt hactenus deſcriptus, primum illud ſeruandum eſt, ne aut habitet, aut uerſetur curatus in frigido loco, nec unq̃ꝫ omnino ſentiat frigus. Nam ob raritatem pororum corporis facile nouus aliquis morbus contingeret, qui eſſet curatu per quam difficilis, præſertim ſi frigidus eſſet morbus, aut in frigido anni tempore. Modus deinde ſeruetur in cibo & potu, ſaltem ad duos menſes, ut carnes edantur facilis concoctionis, ac cœtera, quæ nihil omnino officiant, Quantitas uero cibi ea ſit, ut illa minime grauetur ſtomachus imbecillis ex inedia quæ præceſſit. atqꝫ ut bene cõcoctus cibus facile in ſubſtantiam aliti cõuertatur. Si autem peracta curatione, inflammatio cognoſcetur in iecore & in habitudine ſanguinea, quod erratũ in curatione fuerit, confecta decoctione nimis intenſa, neceſſe eſt alterari iecur atqꝫ refrigerari ſyrupo aut aqua endiuiæ, aut re alia, quæ refrigeret, aut uenam incidi, ut conueniet. Ad tuendam uero ualitudinem ex quouis morbo, præſertim ex morbis cronicis, & qui uix euelli poſſunt, ut eſt podagra, poterit curatus procedente tempore quarto aut ſexto quoqꝫ die ſumere aquam ſecundam decoctionis ligni uel ſyrupum, quod eſt multo utilius, Quod ſi per legitimam ligni curationem quadraginta dierum, non receperit quis integram ſalutem, debebit poſt aliquos menſes, aut etiam annos repetere ipſam curationem, atqꝫ ſi opus fuerit, tertio aut quarto, de integro curari eadem ligni medicina eodemqꝫ ritu. Neqꝫ quidq̃ꝫ inde timendum eſt incolumitati. Nam adeo eſt præclara hæc medicina & ſalutaris, ut ſi rite adminiſtretur, nõ modo non offi

ciãt ſæpius

ciat ſæpius ſumpta,ſed mēbra quoq; omnia foueat,recreet, ac roboret, corpuſq; per illam deducatur ad perfectam habitudinem, ac fere iuueneſcat.

ATque hæc nobis pertinere uiſa ſunt ad cōmunem generalemq; rationem huius medicinæ ligni ſancti. Poſt hæc de uniuerſis morbis,de ætatibus,de complexionibus ſigillatim,atq; ordine præcipiemus. De ratione autem ipſorum morborum,nihil attinet hoc opere diſputare,de quibus plurimi atq; præclari autores tractauere,Sed in ſingulis morbis demonſtrabimus diligenter,quo pacto curandi ſunt hac medicina. Iamq; modum ponemus primo huius operis libro, Si prius quaſi corollarium illi addemus, rationem diuerſæ operationis ligni ſancti.

¶Quare diuerſæ contingunt operationes ex medicina ligni ſancti. Cap. XXX.

LIgnum ſanctum diximus eſſe naturæ atq; complexionis calidæ in ſecundo gradu,ac ſiccæ,Quamobrem nō mirum eſt,ſi curent̃ illo morbi & ægroti humidæ naturæ ac frigidæ.Sed difficile illud uidet̃ quod nihil minus ſubueniat ſiccis calidiſq; morbis & ægrotis. Quare autem id fiat nos ratione cognouimus, & uſu atq; experimētis,Cauſa uero diuerſæ operationis,ut ſupra tetigimus,eſt uaria cōfectio ipſius medicinæ. Remiſſior enim decoctio ligni ſancti facit, ut propriæ ipſius qualitates remiſſæ tranſfundant̃ in aquam decoctionis,qualitates uero aquæ minus tranſmutent̃ uigore ipſius ligni. Quo fit,ut ex utroq; compoſita decoctio ad hunc morbū remiſſa, multo minus habeat ex qualitatibus ligni,multo plus ex aquæ qualitatibus. Ac propterea talis decoctio, ratione cōmixtionis, non iam calida & ſicca eſt,

Sed humidæ

Sed humidæ potius & frigidæ qualitatis. quia compoſita qualitate coniuncta cum propria uirtute atq; potentia naturali ipſius ligni, iure ac merito ea medicina morbos curat & ægrotos calidæ ac ſiccæ naturæ. humectatiuãq; uim habet, & refrigeratiuam. Sed & ratione portionis ligni & aquæ decoctionis, humidam induit decoctio & frigidam qualitatẽ, dum pars modica ligni cũ aquæ maxima parte coniungit̃, ut exigua ligni quãtitas intenſiua ſuperet̃ a quãtitate aquæ nimium extenſiua, atq; ita decoctio accedat magis ad aquæ qualitates. Itaq; ſiccum quidem & calidũ eſt id, quod decoquitur, ſed decoctio trahi arte poteſt propter aquam, in cõtrarias qualitates: Præcipua tamen cauſa quod tã mira operatur hæc medicina, non tam qualitates ſunt, q̃ propria natura ut diximus, & uis ipſius ligni, uere ſancti & ſalutaris.

LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO.

HOc Secundo Volumine de ſingulis morbis, ut dictũ eſt, ſumus tractaturi, curandis per ligni ſancti medicinam. Conſtituimus uero ꝓpriam curationem in unoquoq; morbo, non ſolum quæ ad morbum ipſum pertineat, Sed quæ cuiq; cõueniat habitudini ſeu complexioni ex diuerſis quatuor corporum humoribus, ſanguine, bili ſeu cholera, pituita, ſeu flegmate, atra bili, ſeu malancholia, quæ item cõ ueniat cuiq; ætati, quæ firmo corpori, quæ imbecillo. Incipiemus autem ab eo capitis morbo, qui & moleſtiſſimus eſt, & curatu multo difficillimus.

¶DE CEPHALEA Seu Hemicranea.

CEphalea, morbus, ut ait Cælſus, acutus ac peſtilens, hemicranea etiam dicit᷑, quod frequentius certã partem capitis infeſtet, licet uarijs locis, ſemp tamen qua caput capillo tegit᷑. Hic morbus uarius eſt, ac multiplex malum. Nos aũt de dolore illo tractabimus, qui maxime uehemens eſt, & pernicioſus, & qui uix curatur aliqua medicina. Eius mali & ſi multæ cauſæ ſunt, potiſſima tamẽ eſt cauſa interna, ut dolor ex ipſo corpore naſcat᷑, ſiue ex ſolo capite oriatur malũ, ſeu ex capite & ex alio membro, ut eſt lien ſeu ſplẽ, iecur, ſeu epar, ſtomachus, uulua, quæ & matrix dicit᷑, & ſimilia. E ſtomacho uero præcipue oritur is morbus ut præcipit Aui. prima tertij, Cuius ſignum eſt, quod plerunq; fit dolor tra. 2.
in priore parte ſincipitij. nam qui in margine ipſius ſincipitij fit, hunc uulua maxime producit. In dextra aũt parte ca cap. 3.
pitis, ex iecore tranſfundit᷑, ex liene in ſiniſtra. ut docet Aui. eodem loco. Quoniam uero ex cauſis morbi materialibus cap. 7.
quæ cronicum facit morbum, ſeu diuturnum, eſt flegma, aut

melancholia, de hoc morbo cephaleæ primum dicam, quũ a flegmate concitatur. Siue is humor p ſe talis ſit in corpore, ac (ut aiũt) radicaliter, ſiue talis ſit in ratione alterius humoris, p ulteriorem cõbuſtionem uel reſolutionem. ſeu ẽt talis ſit humor ab ineũte ætate, ſeu ſuccedente tempore mutatus ob qualitatem regionis, uel propter ſex res non naturales.

¶ Curatio cephaleæ, flegmate exiſtente in cauſa,
In iuuene cholerico uel ſanguineo.

IN minuta primum cauſa morbi antecedente, humore uidelicet flegmatico, Iuuenis eius cõplexionis, ſi imbecillus ſit hoc modo curet. Cibet tota curatione dieta reſumptiua, ab initio & p totum incrementũ curationis tam in prandio q̃ in cœna, ſumens tres uncias panis biſcocti & tantundem carnis elixæ. In ſtatu tres uncias panis, duas tantum carnis, poſt redeat ad tres carnis uncias in declinatione, ac demum quatuor etiã uncias eſſe poterit æger circa finẽ curationis. Vt non ſubito uel nimis minuatur cibus, uel nimis augeat. Neq; .n. ex multa fame, ut Cælſus ait, nimia ſatietas, neq; ex nimia ſatietate fames idonea eſt. Sumat aũt in potu mane & ueſperi aqua ligni ſancti alteratiua, ut dicemus, Syrupus uero talis fiat. Ponat in fictili ſeu teſtaceo uaſe ſemilibra ex ramentis ligni, maneatq; in infuſione horas duodecim in aqua fontanæ quindecim librarum. Deinde ferueat infuſio ad ignem carbonum, donec redeat decoctio ad libras octo, poſt coletur, ac reponatur in uitreo uaſe bene operto. Ex eo ſyrupo ſumat ægrotus tam mane, q̃ ueſperi uncias quatuor ab initio curationis uſq; ad ſtatum, In ſtatu aũt & deinceps uncias ſex. Sumatur uero ſyrupus calefactus. In potu talis fiat aqua ſecunda, Ramenta ligni cõpreſſa poſt decoctionẽ ſyrupi ponãtur in uitreo uaſe in aquã uiginti librarũ, hæc ferueat in gemino uaſe ad ignem lignorũ, donec redeat ad quindecim libras, poſt hæc coletur ac reponat in uitreo

uaſe bene

uaſe bene operto. Ex hac aqua bibat æger in prandio & in cœna quantum placuerit. Ea enim refrigerabit calidã iuuenis habitudinem. Si autem horreat bibens aquæ amarorem, temperetur amaror ipſe admixtis aquæ coriandris, ut ſuperius demõſtrauimus. In robuſtiore uero iuuene idem ſeruet modus curationis, præterq̃, quod audacius minui poterit quãtitas cibi, augeri uero ſyrupi, ꝑ totã curationem. In hoc enim fortior ẽ calor uitalis, faciliusq; ac melius fit cõcoctio.

¶ In iuuene flegmatico uel melancholico.

Cibetur is iuuenis, ſi imbecillus ſit, dieta reſumptiua, ut ſupra dictũ eſt. Caro autem ſit aſſa, nõ elixa, ammoto cruſto ſuperiore. Si uero fuerit robuſtior, dieta utat̃ regulari. Sirupus autem & aqua ſecunda uim habeant calefactiuam, fiantq; in hunc modũ. Ponat̃ ſemilibra ex ramentis ligni in uaſe fictili in aquæ fontanæ libras quindecim. maneatq; in infuſione horas duodecim. tum ferueat infuſio, donec decoctio redigatur ad ſex libras. poſt hæc coletur, ſeruetur q;, ut docuimus. atq; hic ſyrupus ſumatur ab initio curationis & per totum incrementum. In incremento uero uſq; ad declinationem redigat̃ eadem decoctio ad quatuor libras. Secũda aqua in potu talis ſit, cõpreſſa ligni ramenta poſt ſyrupi decoctionẽ ponant̃ ĩ aquæ fontanæ libras uiginti, ferueatq; decoctio donec ad decẽ redeat libras. eaq;, ut ſupra dictũ eſt, utat̃ in potu ægrotus tota curatione in prãdio & in cœna.

¶ In ſene cholerico uel ſanguineo.

HVius modi ſenex ſi imbecillus ſit, ac reſolubilis, inminuta prius cauſa morbi antecedente, cibetur dieta reſumptiua tota curatione, etiam cum cõtuſo gallinæ aut caponis, panis uero præbeat̃ biſcoctus, uel bene coctus, quantum in iuuene conſtituimus eiuſdẽ cõplexionis. Syrupus ꝓ hoc ſene talis fiat, ſemilibra ex ramẽtis ligni in aquæ libras quatuordecim ponat̃ in uaſe teſtaceo, maneat in infuſione

ut ſupra ferueatq; infuſio ad ignẽ carbonũ, donec ad ſeptẽ libras redigatur decoctio. Ex hoc ſyrupo ſumat æger tam mane q̃ ueſperi ab initio uſq; ad mediã curationem, uncias quatuor. in reliqua curatiõe ſemilibrã. Intra curationẽ uero deiectiones, ſeu euacuationes nõ negligantur, ut morbo cõueniet & ægroto, aqua ſecunda utatur in potu ut de flegmatico iuuene dictũ eſt tota curatione in prandio & in cœna.

¶ Curatio Melancholia exiſtente in cauſa In iuuene cholerico uel ſanguineo.

IMminuta primum cauſa morbi antecedente, cibet̃ talis iuuenis dieta reſumptiua. Sirupus uero ſic fiat, ab initio ad mediam curationem ſit ſemilibra ligni, aquæ infuſionis libræ quindecim, maneant ligni ramenta in infuſione horas duodecim. ferueat infuſio in balneo mariæ, donec redigatur decoctio ad undecim libras. Serueturq; ut ſupra in uitreo uaſe. Ex eo ſyrupo ſumatur tam mane, q̃ ueſperi ſemilibra. In ſecũda aqua in potu ſint aquæ libræ uiginti. ferueatq; infuſio donec redigat̃ decoctio ad ſexdecim libras, reponaturq; ac ſumatur, ut ſupra. A ſtatu curationis uſq; ad finem ſyrupus fiat ex ſemilibra ramentorum ligni, & aquæ infuſionis libris duodecim. maneat infuſio, ferueat, & reponat̃, ut prior ſyrupus. Intenſio tantum decoctionis maior ſit, ut duodecim libræ redigantur ad ſeptem. In ſecunda aqua in potu eadem quoq; ſeruentur, quæ in priore decoctione. niſi quod quindecim ſint libræ aquæ infuſionis, atq; decoctio redeat ad duodecim. Intra curationẽ uero non ommittãtur euacuationes neceſſariæ. Si autem paulo robuſtior iuuenis ſit, eadem ſeruentur in curatione, niſi quod minor aliquando cibus ſumendus eſt.

¶ In iuuene flegmatico uel melancholico.

CIbetur talis ægrotus tota curatione dieta regulari. pro ſyrupo ſit ſemilibra ligni, aquæ libræ decẽ, fiat infuſio ut

fuſio ut

uſio ut ſupra. tum ferueat in fictili uaſe ad ignem carbonū, donec decoctio ad quinq; redeat libras. Eo ſyrupo utatur ægrotus ab initio uſq; ad mediā curationem, ſemilibram ſumens mane ac ueſperi. Pro aqua ſecunda in potu ſint libræ quindecim aquæ, redigaturq; decoctio ad decem. Ab incremento autem uſq; ad finem intenſior ſit decoctio ſyrupi, ut decem libræ infuſionis ad tres redigantur. Sumantur uero ex eo ſyrupo tam mane, q̃ ueſperi unciæ octo. Intēſior item fiat ſecunda decoctio, ut decem aquæ libræ ad ſex redeant. Si autem ſiticuloſior ſit ægrotus, ſecundaq; aqua poſt ſyrupum non ſufficiat in potu ex compreſſis ligni ramentis, fiat prima ligni decoctio in potu ad hunc modum. unciæ tres ex ligni ramentis ponantur in infuſione in uaſe fictili in libras quindecim aquæ, ferueatq; infuſio, donec decoctio ad decem redigatur libras, coleturq; ac reponatur, ut ſæpius dictum eſt. Atq; hæc prima aqua remiſſioris decoctionis ſuppleat in potu defectum aquæ ſecundæ.

¶ In ſene cholerico uel ſanguineo.

SI is ſenex imbecillus ſit, in minuto prius humore melancholico, cibetur dieta reſumptiua, ut ſenex flegmaticus. Syrupus pro eo per totam curationem fiat calefactiuus, ad hunc modum. ponat̄ ex ramentis ligni libra integra in uaſe fictili, in aquæ libras quatuordecim. fiat infuſio, ut ſupra ferueatq; quouſq; redigatur ad libras ſeptem. Ex eo ſyrupo tam mane q̃ ueſperi ſumatur ſemilibra. Pro aqua ſecūda in potu, ramenta primæ decoctionis compreſſa ponantur in uitreo uaſe in aquæ libras uiginti. ferueat ipſa ſecunda infuſio in balneo mariæ donec ad quindecim redeat libras. Si uero paulo ſit æger ualidior, cibetur interdum dieta regulari, augeaturq; potio ſyrupi duabus uncijs, ut octonas ſumat uncias per incrementum & ſtatum curationis.

¶ In ſene flegmatico uel melancholico.

Cibetur huiuſmodi ſenex tota curatione dieta regulari, pane biſcocto & uua paſſa. Ad Syrupum ſit libra integra ligni, aquæ libræ ſexdecim. fiat infuſio de more, ferue atq; ad ignem carbonum, donec redeat decoctio ad ſeptem libras. Colet̃ de more, ac ſeruet̃. Ex eo ſyrupo ſumat ægrotus mane ac ueſperi ab initio curationis uſq; ad incrementũ uncias quatuor, deinceps uſq; ad finẽ, ſumat ſemilibrã. Pro ſecũda decoctione in potu, ſint aquæ libræ uiginti, redigaturq; decoctio ad decẽ & octo. Si aũt robuſtior ſenex fuerit, augeat̃ potio ſyrupi duabus fere uncijs. Secũdaq; decoctio fiat paulo intenſior, ut redeat ad ſexdecim libras.

DE VIGILIA inmodica.

Longa & inmodica uigilia ex aliqua prouenit quatuor cauſarũ. hoc ẽ uel a nimia ſiccitate, uel ab intẽperato calore, uel a cholera rubea aut nigra, uel a flegmate ſalſo. Præcipue tñ in cauſa eſt ſiccitas cerebri, cũ uel a calido iecore, uel ex aliqua materia calida ꝑ ſe aut ꝑ accidens, calidi uapores exhalant̃, ac cerebrũ ꝑ ſe ſiccũ magis exiccant. Primum igit̃ in huius morbi curatione cauſa frangatur antecedens. Deinde ſingulæ cõplexiones & ætates curent̃ in hũc modũ.

¶ Curatio uigiliæ in iuuene cholerico uel ſanguineo.

Cibetur talis ægrotus carne pulli elixi cum frigidis herbis. Sumat uero in potu ſaltem duos menſes aquam decoctionis ligni ſancti, quæ talis fiat. Ex ramẽtis ligni ſint unciæ tres ꝑ mẽſem, deinde quatuor unciæ alio ĩ mẽſe, aquæ libræ uiginti, fiat infuſio, ac ferueat in balneo mariæ, donec redeat decoctio ad quindecim libras. Hæc uero aqua in potu ſumpta alterabit intẽperiem, ſeu diſcraſiã mẽbri dolorẽ immittentis. Corrigit enim atq; inſtaurat lapſa membra ex quacunq; cauſa. Neq; autem id cuiq; incredibile uideatur, quod nos & alias experti ſumus, & præcipue in clariſſimo

uiro Camillo

uiro Camillo Muſettula, quem quum immẽſa uigilia ex ie‑
coris caliditate pene conſumpſiſſet, ſola potione hac ligni
ſancti alterante, refrigerato iecore, ſublata uigilia eſt, ac pfe‑
ctæ ſaluti reſtitutus, quod illi quoq; fuit ſummo miraculo.

¶In Iuuene flegmatico uel melancholico.

CIbetur huiuſmodi Iuuenis, ut ſuperior, ſed parcius ali quanto. pro eo aũt fiat talis Syrupus, ſint ligni unciæ quatuor, aquæ duodecim. ferueat infuſio in balneo mariæ, donec redeat decoctio ad uncias ſeptem. Ex hoc ſyrupo ſumat æger p totam curationem uncias ſex mane tantum. Aqua ſecunda in potu fiat, ut in iuuene ſuperiore.

¶In ſene cholerico uel ſanguineo.

SEnex ſi huius complexionis fuerit ab ineunte ætate, imminuto prius humore noxio, ſi ſit in cauſa, cibetur dieta reſumptiua. fiantq; pro eo ſyrupus & aqua ſecũda, quæ alterent illius cõplexionem, Pro ſyrupo ſit ligni ſemilibra, aquæ libræ uiginti. ferueat infuſio in balneo mariæ donec ad quindecim libras decoctio redigatur. Inde ſumat ægrotus mane ac ueſperi ſemilibrã tota curatione. Pro ſecũda decoctione, ramenta ex priore decoctione preſſa ponantur in aquæ libras uiginti quinq; hæc ferueat in eodẽ balneo donec ad uiginti redeat libras. Quod ſi aqua ipſa ſecunda non ſufficiat ad potum ob ſitim nimiam ſenis, fiat aqua prima in potu, qualis deſcripta eſt in iuuene cholerico.

¶In Sene flegmatico uel melancholico.

EAdem in hoc Sene ſeruentur, quæ in ſuperiore. Nam licet complexio per ſe humida ſit, humectandus tamẽ eſt ob morbum ſicciſſimum.

¶DE PERTVRBATIONE intellectus, defectu & ammiſſione memoriæ.

PErturbatio intellectus & defectus memoriæ non differunt, niſi per maiorem aut minorẽ uim cauſæ facientis

morbum, &

morbum, & per diuerſas capitis partes,& proprias ſædes. Conueniunt uero in materia & noxio humore, unde oritur morbus. Atq; de ea pturbatione intellectus hic præcipimus, quæ ſine febre eſt. quũ ex flegmate putredo fit, uel ex cholera. Spēsq; illas notamus huius morbi, in quibus cōmunitas eſt in cauſa morbi pluribus membris principalibus, in quibus præcipua ſunt iecur & cerebrũ. Et iecoris quidem caliditate fit morbus, dum cōburit humores, ac cinericios reddit, gignitq; choleram nigram, ex qua morbus hic naſcitur. Sed & cerebrum ſolum nōnunq; eſt in cauſa, ob ſui intemperiem ſeu diſcraſiam. Nam eius frigiditate augetur flegma. Sæpe etiam, ut diximus, utrunq; membrum eſt in cauſa, & plerunq; alia membra ex nimia frigiditate aut humiditate, quæ ſolent morbum afferre, ut prima tertij tradit Aui. In
cap.120 quacunq; autem ſpecie huius morbi maxime conuenit curatio ligni ſancti, quoniam tenui opus eſt materia in nutrimento, ob uirtutem ligni nutritiuã, & in hoc morbo ualde noxia eſt repletio ex cibo & potu, maximeq; aduerſatur ſenſui animæ interiori, Aui. ibidem præcipiēte. Sed & ob id utiliſſima
cap.11 eſt ligni ſancti medicina, quod exiccat & tenuat ſanguinem, & temperate calefacit. Atq; ita ſenſus interior purgatur & inſtauratur, ut eodem loco præcipit Auicenna. Primum aũt omnium in huius morbi curatione imminuatur cauſa antecedens noxius humor.

Curatio perturbationis intellectus & ammiſſionis memoriæ, Flegmate exiſtēte in cauſa, In Iuuene cholerico uel ſanguineo.

HVius modi iuuenis cibet̃ tota curatione dieta reſumptiua, ſi imbecillus ſit. Syrupus pro eo fiat, ex ligni ſemilibra, aquæ libris octo. Ferueat infuſio in uaſe fictili ad ignem carbonũ, donec redigat̃ decoctio ad quatuor libras. Hoc utatur ægrotus ab initio uſq; ad mediam curationem,

quatuor ſumens

quatuor ſumens uncias mane ac ueſperi. In ſecunda deco-ctione in potu ſint aquæ libræ duodecim, redeatq; decoctio ad ſeptem. Reliquo tempore curationis ſyrupus fiat ex eadem ligni & aquæ menſura, Sed intenſior ſit decoctio, ut ad tres tantum redeat libras. Sumatq; inde ægrotus mane ac ueſperi ſemilibram. Secũda decoctio in potu fiat ex decem libris aquæ, atq; ad ſeptem redigatur. Si autem ualidior ſit iuuenis, eadem ſeruentur, niſi ꝙ minuenda cibi quantitas eſt, augenda ſyrupi.

¶ In iuuene flegmatico uel melancholico.

CIbetur huiuſmodi iuuenis, ſi imbecillus ſit, dieta reſumptiua uſq; ad mediam curationem, deinceps utat̃ dieta regulari uſq; ad finem, niſi deficiẽtibus uiribus, ad reſumptiuam ſit aliquando reddeũdum Pro eo in tota curatione fiat ſyrupus ex libra integra ligni, aquæ libris decem, ferueatq; infuſio in fictili uaſe ad ignem carbonum donec ad quinq; libras redeat decoctio. Inde ſumat ægrotus mane ac ueſperi initio curationis uncias tres, in incremento quatuor, reliquo tempore ſemilibram. Secunda decoctio in potu fiat ex aquæ libris duodecim, quæ ad decem redeant feruendo.

¶ In Sene cholerico uel ſanguineo.

CIbetur Senex hic tota curatione ſi ſit imbecillus dieta reſumptiua, fiatq; ꝓ eo ſyrupus ex libra integra ligni, duodecim aquæ, ferueat infuſio in uaſe teſtaceo ad ignẽ carbonum, donec ad libras ſeptem redigatur. Hoc ſenex utatur uſq; ad mediam curationem, ſumens mane ac ueſperi uncias quaternas. Secunda decoctio in potu ex duodecim aquæ libris feruendo redeat ad decem. A ſtatu & deinceps ſyrupus fiat ex una libra ligni, decem aquæ, redigaturq; decoctio ad libras quinq;. Sumatq; inde ægrotus tam mane ꝙ̃ ueſperi ſemilibram. Secũda decoctio in potu ex libris duodecim redigatur

decim redigatur ad octo. Si autem robuſtior ſit ſenex, cibus eſt, pro illius uiribus minuendus.

In ſene flegmatico uel melancholico.

HViuſmodi ſenex cibãdus eſt, ut uires, aut imbecillitas exegerint, dieta uel regulari uel reſumptiua, uel alternis. Pro eo ſyrupus tota curatione fiat ex libra integra ligni, aquæ libris decẽ, redigaturq; decoctio ad quatuor libras, feruendo ad ignem carbonũ in fictili uaſe. Inde ſumat æger mane ac ueſperi uſq; ad mediã curationem uncias quatuor, deinceps uſq; ad finem ſemilibram. Secunda decoctio in potu fiat ex aquæ libris decem, ad ſeptemq; redigatur. Si autem ſenis uires maiores ſint, uti poterit tota curatione dieta regulari & ampliore ſyrupi potione.

Melancholia exiſtente in cauſa, in iuuene cholerico uel ſanguineo.

SI imbecillus ſit talis iuuenis, utatur dieta reſumptiua p totam curationem. fiatq; pro eo ſyrupus ex ligni ſemilibra, & aquæ libris octo. ferueat infuſio in uaſe fictili, donec redigatur decoctio ad ſex libras. Inde ſumat ægrotus ab initio uſq; ad mediam curationem uncias quatuor tam mane q̃ ueſperi, reliquo tempore ſemilibram. Secunda decoctio in potu fiat ex libris aquæ ſexdecim, ferueatq; in balneo mariæ quouſq; ad duodecim redigatur. ualidiori uero iuueni tenuior præbendus eſt cibus.

In iuuene flegmatico uel melancholico.

CIbetur is iuuenis dieta regulari tota curatione. Si aũt ſit imbecillior, in ſtatu curatiõis & deinceps dieta uti poterit reſumptiua. Syrupus pro eo uſq; ad mediam curationem fiat ex ligni ſemilibra, aquæ libris duodecim, ferueat ꝑ infuſio in uaſe fictili, redigaturq; ad ſex libras. Inde ſumat æger mane ac ueſperi ſemilibram. Secunda decoctio ſit ex libris quindecim aquæ, ferueat in balneo mariæ, redeatq;

ad libras duodecim. In ſtatu & deinceps pro ſyrupo ſit libra integra ligni, decē aquæ. redigaturq; decoctio ad quinq; libras, feruens in uaſe teſtaceo, ſemilibramq; ſumat æger utraq; potione tam matutina q̃ ueſpertina. In ſecunda decoctione ſint libræ ſexdecim aquæ, redeātq; feruendo in balneo mariæ ad treſdecim libras.

¶ In ſene cholerico uel ſanguineo.

DIeta reſumptiua cibet̄ hic ſenex tota curatione, fiatq; pro eo ſyrupus ex ligni ſemilibra, libris aquæ decem, redigaturq; ad libras quinq; decoctio, feruens in fictili uaſe. Sumantur utraq; potione uſq; ad ſtatum unciæ quatuor, in ſtatu & deinceps unciæ ſex. Ad ſecundam decoctionem in potu libræ quindecim aquæ feruentes in balneo mariæ ad decem redigantur. Si autem ſit robuſtior ſenex, intenſior fiat utraq; decoctio ex una ſcilicet libra.

¶ In Sene flegmatico uel melancholico.

IVxta, uel uires, uel imbecillitatem, fiat ab hoc ſene dieta regularis aut reſumptiua. Syrupus pro eo fiat p̱ totam curationem ex una libra ligni, decem aquæ. feruens in uaſe fictili decoctio redeat ad ſex libras. Inde ſumat ſenex utraq; potione ſemilibram, ſi uis epatis concoctiua id tolerat. Secunda decoctio fiat ex libris ſexdecim aquæ, redigaturq; ad duodecim. Si aūt ſecunda decoctio nō ſufficiet ad ſitim ſenis, & iuuenis fiat prima decoctio in potu in balneo mariæ ex ligni uncijs tribus, aquæ libris quindecim, quæ ad decem redigantur.

¶ DE MELANCHOLIA.

MElancholiæ morbus multiplex eſt. Nos tamen de ea tractamus qua exiſtimatiua uis & cogitatiua perturbatur propter melancholicum humorem noxium, fitq; aduſtione alicuius ex quatuor humoribus, ob imbecillitatē ſplenis, aut propter iecoris aduſtionem, uel alterius mēbri præ

cipui, uel propter cõmunem aduſtionem. Eamq; melancoliã curamus ligno ſancto, quæ non pœnitus confirmata eſt & obſoleta, ſed quæ uix curatur alijs medicinis. Hoc igitur pacto quiſquis eo morbo affectus eſt præparet ad curationẽ ligni ſancti, ut trahatur in habitudinem contrariam cauſæ morbum facientis. Cibetur æger dieta & cibo apta ad eius morbi curationẽ, ut medici conſueuerunt. Detur autem in prandio & in cœna loco uini per duos menſes aqua ligni ſancti, quæ talis fiat. ramentorũ ligni unciæ tres, aquæ libræ quindecim, ferueat infuſio in balneo mariæ, donec ad decẽ libras redeat decoctio. Poſt hæc curetur morbus iuxta ſingulas complexiones & ætates ad hunc modum.

¶ Curatio melancholiæ in iuuene cholerico uel ſanguineo.

CIbetur is iuuenis tota curatione dieta reſumptiua, alterata ad humidũ, oleribus frigidis, ut decet, modus autem cibi ſit iuxta uires, item pro cõplexione & aduſtione membrorum, quæ indigent alimento. Pro eo ſyrupus fiat de more ad hũc modum, ſit ligni ſemilibra, aquæ libræ decẽ, ferueat infuſio in balneo mariæ, atq; ad libras quinq; decoctio redigatur. Inde ſumat æger ab initio curationis uſq; ad ſtatum utraq; potione tam mane q̃ ueſperi ſemilibram in ſtatu, & deinceps uncias octo. Decoctio ſecunda in potu fiat ex aquæ libris uiginti quatuor, quæ in eodem balneo feruentes redeant ad uiginti.

¶ In iuuene flegmatico uel melancholico.

EAdem ſeruetur curatio in hac complexione iuuenis, quæ in ſuperiore. Hic. n. morbus omnino ex aduſtione gignitur, nec admodum diuerſus eſt in diuerſis complexionibus, niſi craſſitudine aut tenuitate humoris noxij. Quambrẽ quo terreſtrior fuerit materia morbi, eo diuturnior erit hæc curatio ſeruanda, quod minus apta ſit humectationi & reſolutioni & euacuationi.

¶In ſene cholerico uel ſanguineo.

Cibetur ſenex huiuſmodi reſumptiua dieta humectãte, ut dictum eſt, ſed tenuiore cibo, q̃ iuuenis. facilius enim fert ſenex inediam, quam iuuenis. Pro eo ſyrupus fiat per totam curationem ex ligni uncijs octo, aquæ libris quindecim, infuſioq; feruens in balneo mariæ ad libras octo redigatur. Inde ſumat æger tam mane q̃ ueſperi ſemilibram. minus uero ſi adſit ſtomaci aut iecoris imbecillitas. Aqua ſecunda in potu fiat ex libris aquæ uiginti, quæ in eodem balneo feruentes redeant ad treſdecim.

¶In ſene flegmatico uel melancholico. Eadem ſeruanda.

¶DE VERTIGINE.

MVltæ quidẽ ſunt cauſæ uertiginis primitiuæ atq; ex humoribus, ſed nos eatenus de uertigine tractamus, quatenus fit ex ui corrupta meditationis ſeu imaginationis, ob aliquam cauſam fixam in membro quopiam nobili, ueluti eſt caliditas epatis diſſoluens, aut imbecillitas ſtomaci euaporans, aut etiam totius cerebri euaporatio, aut alia quæpiam intemperies ac diſcraſia in membris ipſis nobilioribus. Et qui hunc morbum patitur, uidẽtur ei locus in quo ipſe eſt, reſq; omnes in gyrum uerti ac labi, atq; alia quædã ſimilia. Quæ ſæpe contingunt ſtudioſis, & utentibus coitu inmodico. Quicunq; igitur hoc morbo curandus eſt, præparetur ſaltem per duos menſes, anteq̃ incipiat ſumere ſyrupum ligni ſancti. Vtaturq; dieta reſumptiua, ea quantitate, quæ cõueniat cõplexioni & uiribus corporis, abſtineatq; ab omni cibo, qui in malum chilum conuertitur. Vtatur uero in potu ſemper tam præparationis tempore, q̃ curationis, aqua ligni ſancti, nec unq̃ bibat aquã aliam aut uinũ, præſertim flegmaticus uel melancholicus. Aqua in potu ꝓ ſanguineo iuuene uel cholerico fiat ex ligni uncijs quatuor, quæ maneant in infuſione diem ac noctem in aquæ libris

quindecim

quindecim ferueatq; infuſio in balneo mariæ donec redeat decoctio ad libras decem. Pro flegmatico uero iuuene uel melãcholico aqua in potu fiat ex ligni ſemilibra, aquæ libris ſexdecim, ferueatq; infuſio in fictili uaſe ad ignem carbonũ, donec ad libras duodecim redigat. In ſene eadẽ ſeruent, niſi quod & in cibo, & in quantitate ligni atq; aquæ ad decoctionẽ, & in ipſius decoctionis gradu eſt habẽda ratio uiriũ, complexionis, & ætatis. Si aũt hoc pacto uertigo nõ tollit, adhibeat eadem curatio, quæ deſcripta eſt in melancholia.

DE EPILEPSIA.

EPilepſia, qui morbus latine dicitur comitialis, & ſi non ſimplex eſt, nos tamen de ea morbi ſpecie tractamus, quæ a nonnullis uera epilepſia dicitur, & quæ gignitur a flegmate. Quanq; & melãcholia eſt nõnunq; in cauſa. Ex utrouis igitur humore producatur morbus, ac ſiue propter cerebri, ſeu ꝑpter alterius mẽbri præcipui intẽperiem, dũmodo contingat ex interna cauſa materiali ac permanente, ſitq; id malum diuturnius, nec tolli potuerit alia medicina, curatio fiat per lignum ſanctum ad modum, quem deſcribimus. Ac primum locus in quo æger curatur, hoc eſt cubiculum, ſit temperate calidum, ab omni ſtrepitu ſemotũ, nec nimis illuſtre. Sudor prouocetur, ſed in capite copioſius, quam in reliquo corpore. Seruetur uero modus diligenter pro ægroti diſpoſitione tam in cibo q; in potione ligni, ne inter curandum aut febricula incidat, aut deſtillatio, aut aliud quoduis accidens aduerſum. Nam ſi rite fiat curatio per lignum ſanctum, morbus facile curatur ac tollitur, quod nobis curantibus ſæpius contigit. Sed illud pro miraculo habẽdum eſt, & eſt tamen ueriſſimum, quod monialis quædam nobilis ex ordine Diui Franciſci, in uirdi ætate annoꝝ triginta, ſanguineæ complexionis, morbum hunc comitialem paſſa ſex annos, quum a me curata eſſet hac medicina & hoc ritu dies

uiginti quinq;

uiginti quinq;,nec amplius, priſtinæ ſaluti prorſus reddita eſt,nec unq̃ poſtea ſenſit epilepſiã. Sed & alios innumeros curaui deſperatæ ſalutis. Cuartio aũt fiat in hunc modũ.

¶Curatio epilepſiæ in iuuene ſanguineo uel cholerico.

VTatur hic æger,Si non ſit imbecillus,dieta regulari ab initio uſq; ad mediã curationem, deinceps utat̃ dieta reſumptiua,& ſi opus fuerit,etiam regulari, uſq; ad finem. Syrupus pro eo uſq; ad mediam curationem fiat ex ligni ſemilibra,aquæ libris duodecim. ferueatq; inſuſio in fictili uaſe ad ignem carbonum donec ad ſex redeat libras,uſq; ad augmentum,inde uſq; ad ſtatum ad quatuor tantum libras redigat̃. A ſtatu uſq; ad finem ſyrupus fiat alteratiuus hoc pacto,ligni ſemilibra in aquæ libris decem, maneat in infuſione duodecim horas, feruenſq; infuſio in balneo mariæ redeat ad ſex libars. Per totam uero curationem ſumatur utraq; potione ſemilibra ſyrupi. Aqua ſecunda in potu tota curatione fiat ex aquæ libris uiginti, redigaturq; ad quindecim feruens in balneo mariæ. Si autem non ſufficiet in potu hæc ſecunda decoctio, prima fiat aqua in potu ex tribus uncijs ligni,aquæ libris uiginti,quæ in eodẽ balneo ad ſexdecim redigantur. In ſene autem eiuſdem complexionis, eadẽ ſunt ſeruãda,niſi quod & ſyrupus & aqua in uaſe fictili decocta poterunt audacius præberi,propter flegmatis exceſſum in ea ætatæ.

¶In iuuene flegmatico uel melancholico.

CIbetur iuuenis huiuſmodi,ſi robuſtior ſit, dieta regulari tota curatione. Syrupus fiat uſq; ad mediam curationẽ ex libra integra ligni, libris aquæ decẽ & octo. duodecim horas fiat infuſio. poſt hæc feruendo redeat decoctio ad ſeptẽ libras. poſt mediã curationẽ fiat ſyrupus ex una cũ dimidia libra ligni,libris aquæ ſexdecim. infuſio ut ſuperior ferueat in fictili uaſe ad ignem carbonum, donec ad libras

quinq; redigatur.

quinq; redigat̃. In utraq; potione ſumat æger ſemilibram ſyrupi. Secunda decoctio in potu fiat in fictili uaſe ex libris aquæ uiginti, ac feruendo redeat ad decem. Eadem uero in ſene ſeruãda ſunt, niſi ꝙ ſenex, licet facilius inediam ſubſtineat, propter ætatis tamen imbecillitatem ſubleuari poterit dieta reſumptiua.

¶ In pueris a quarto ætatis anno uſq; ad quartumdecimũ.

EA ætate pueri cibentur tota curatione dieta reſumptiua, maiore enim indigent alimento. Caro tamen aſſa præbeatur, non elixa. Quoniam uero difficilis eſt puerorum curatio, ac uix induci poſſunt ad ſumendas medicas potiones, Si nullo pacto poterit præberi puero ægro ſyrupus, curãdus eſt ſola aqua decoctionis ligni ſancti ſumpta in potu. Ea uero decoctio in potu puero cholerico uel ſanguineo talis fiat, ſint ramentorꝫ ligni unciæ tres, aquæ libræ ſexdecim, ferueat infuſio in gemino uaſe, donec ad libras redeat duodecim. In flegmatico autem uel melancholico puero ſint ligni unciæ quatuor, aquæ libræ ſexdecim, ferueat decoctio ĩ uaſe fictili ad ignem carbonum donec ad libras duodecim redigatur. Si autem puer facilis fuerit, ut ſumat potionem. Pro cholerico quidẽ puero ſyrupus fiat ex ligni uncijs quatuor, aquæ libris decem, ferueat infuſio in gemino uaſe, ſeu balneo mariæ, donec ad ſex libras redigat̃. Sumatq; inde puer tã mane ꝗ̃ ueſperi initio curationis uncias duas, in incremento tres, deinceps uſq; ad finem uncias quatuor. Aqua ſecunda in potu fiat tota curatione ex aquæ libris quindecim, quæ feruentes in eodem balneo redeãt ad decem. Pro flegmatico ſyrupus fiat uſq; ad mediã curationẽ ex uncijs quatuor ligni, aquæ libris duodecim, redeatq; decoctio ad ſeptem libras feruens in fictili uaſe, Sumanturq; utraq; potione unciæ tres. Aqua ſecunda in potu ex ſexdecim libris redeat ad duodecim. A media curatione uſq; ad finẽ ſyrupi

decoctio ex libris duodecim redeat ad quinq;, ſumanturq; utraq; potione unciæ quatuor. Aqua ſecunda in potu ex ſexdecim libris ad nouem redigat̃. Si autem utranq; ſyrupi potionem puer abhorreat, alteram ſaltem ſumat quotidie. Ac ſi amaror ſit nimis moleſtus, leniat̃ amaror ipſe, ut ſupra docuimus coriãdris ſaccaro cõditis, uel ſaccaro tabarzet.

¶In lactentibus infantibus.

FRequẽtior eſt in hac ætate comitialis morb9, multis de cauſis, ac maxime propter humiditatem. Curatio uero infantis tota eſt in ipſius nutrice conſtituenda. Vt cum affe-ctum fuerit nutricis corpus potione ligni ſancti, affecto eti-am lacte atq; alterato, quo ueſcitur infans, alteretur illius corpuſculum lacte ſic medicato, atq; curetur. Cibetur itaq; nutrix dieta reſumptiua ea tamen quantitate, qua tam ipſa, q̃; infans poſſit ſubſtentari, & quæ recte cõcoquat̃. Syrupũ ſumat nutrix mane ac ueſperi, ſumatq; ſemp in potu aquã ſecundã. Qualitas uero & quãtitas ſyrupi, itẽ qualitas aquæ ſecũdæ, ſint ꝓ nutricis ætate atq; cõplexione ut dictum eſt.

¶DE PARALYSI.

MOrbus, quem græci paralyſim dicunt, latine dici põt diſſolutio, quum membra corporis, amiſſo naturali uigore diſſoluũtur. Id uero quũ in toto corpore contingit, græci appellãt apoplexiam, quum in parte, ac certo mẽbro, hæmiplexiam. Conſuetudo tamen obtinuit, quod Cælſus refert, ut quocunq; modo ea diſſolutio paralyſis appellet̃. Nam non eſt in morbo ipſo alia differentia, q̃; ex pauco aut multo humore noxio, unde uel unus cerebri uentriculus, uel omnes ſimul lædantur. Plurimum uero in cauſa eſt flegma uiſcoſum, nec nimis craſſum, quo meatus neruorum oppi-lantur, ſpiritusq; uitales præcluduntur, ne permeent mẽbra. Quapropter laſſeſcentibus neruis membra hebetãtur, cum priuatione ſenſus, & motus uoluntarij. Stupor autem &

tremor ſunt præuiæ diſpoſitiones ad morbum ipſum, atq; ſtuporem debilitas facit in membro, ſubtracta uirtute ſpiritus uitalis, tremorem uero eadem uirtus corrupta & tanq̃; præfocata, atq; ab ipſa cerebri origine præcluſa. Huic malo quanto citius fieri poterit ſuccurrendum eſt ligni ſancti medicina. Atq; ſi minus prima curatione tollitur morbus curatio ipſa iterum eſt, ac etiam tertio & ſæpius repetẽda. Neq; ommittenda hæc medicina eſt, quãuis color in paralytico membro mutatus ſit, quæ res maximam(ut noſtri autores tradunt) oſtendit difficultatem curationis. Fiat autem curatio in hunc modum, Diſponatur æger per dies triginta ad curationem, priusq̃; incipiat potionem ſumere ſyrupi. Vt aqua ligni ſancti utatur in potu loco uini, quæ ex ſemilibra fiat ligni, libris aquæ triginta, decoctioq; ad uiginti redigat' feruens in fictili uaſe. Membrum læſum hoc pacto foueat'. fiat tale balneum. Sumantur cortices radicum alteæ, acori, ulmi, brioniæ, cucumeris aſinini, ſingulorũ manipulos ſex. Capita liliorum alborum numero decem, ſeminis lini, fœnugræci, utriuſq; unam libram, baccarum lauri ſemilibram, camomillæ, melliloti, utriuſq; manipulos quatuor, inteſtinorꝝ arietis pinguium & purgatorum libras decem, ferueãt hæc omnia in aqua fontana, fiatq; calidum balneum quotidie peracta concoctione ante cœnam. Ex quo balneo ſuffimentum fiat diligenter paralytico membro, poſt ſuffimentum ungatur membꝝ hac unctione. Sumãtur altheæ unciæ quatuor, olei ſiſamini, amigdalarum dulcium, liliorum alborũ & cæruleorum, ex ſingulis ſemilibram. miſceantur hæc omnia, fiatq; unctio, qua actu calida ungat' membrum læſum, deinde inuoluatur cannabina ſtuppa, faſciaq; de more uinciatur. poſt hæc ſumat æger aliquod electuarium reſumptiuum, ut eſt electuarium ex gemmis cum aromatibus, aut talem aliquẽ cibũ, cum quo bibat nõ nihil ex ligni decoctione

in potu.

in potu. Poſtq̃ uero æger ad hunc modum per triginta dies paraus fuerit ad legitimam curationem ligni ſancti, curatio ipſa hoc pacto inſtituatur.

¶ In iuuene cholerico uel ſanguineo.

CIbetur hic iuuenis tota curatione dieta regulari. Syrupusq; pro eo fiat uſq; ad mediam curationem, ex libra una ramentorum ligni, aquæ ſexdecim libris, redeatq; decoctio ad libras ſex, feruens in fictili uaſe. Sumatq; inde ægrotus utraq; potione ſemilibram. Aqua ſecunda in potu ex uiginti libris feruens in fictili uaſe redeat ad duodecim. In ſtatu & deinceps fiat ſyrupus itidem ex una libra ligni & ſexdecim aquæ. fiatq; infuſio per horas duodecim, ferueatq; in uaſe fictili, donec ad libras quatuor decoctio redigat᷑. inde ſumantur tam mane q̃ ueſperi unciæ octo uſq; ad declinationem, deinde ſemilibra. Secunda decoctio in potu fiat ex libris aquæ decem & octo, quæ feruendo redeãt ad nouem. Si aũt circa finem curationis refrigerandus fuerit ægrotus ob nimiã caliditatem decoctionis ligni ſancti, fiat ſecunda decoctio ex uiginti libris aquæ, quæ ad ſexdecim redeãt feruentes in gemino uaſe. Atq; hoc pacto puella quædã a me curata eſt ex morbo diuturno, a tertio uidelicet ætatis anno uſq; ad duodecimum, mutato colore corporis, membriſq; diſſolutis, ab inferiori furcula uſq; ad imos pedes.

¶ In iuuene flegmatico uel melancholico.

CIbet᷑ talis quoq; iuuenis dieta regulari tota curatiõe. Syrupus ꝓ eo fiat uſq; ad declinationẽ ex libra una ligni, ſexdecim aquæ. fiat infuſio per horas duodecim, ferueatq; in uaſe fictili, donec ad libras quinq; redigatur. inde ſemilibra ſumatur utraq; potione. Secunda decoctio in potu fiat ex aquæ libris uiginti, quæ feruendo redeant ad decem. In declinatione uſq; ad finem ſyrupus fiat ex una libra ligni, aquæ quindecim feruenſq; redeat decoctio ad

ſeptem libras. ſumaturq; itidem utraq; potione ſemilibra. Ad ſecundam decoctionem in potu libræ uiginti aquæ feruẽdo redigant̄ ad quatuordecim. Atq; hic ſyrupus & aqua in declinatione curationis temperabunt caliditatẽ, qua corpus affectum fuerit priore ſyrupo calefactiuo & aqua ſecũda, quibus domanda erat uis morbi.

¶ In ſenibus eadem ſeruanda ſunt.

POſt curationem uero aliquot diebus ne curatus recidat in morbum, cibus quidem communis ſumendus eſt, ſed qui nihil noxius ſit, & quantus facile concoqui poſſit, potus uero ſit ex ligni decoctione, quæ talis fiat, ſit ſemilibra ramentorum ligni, libræ aquæ uiginti quinq; ferueant una in fictili uaſe donec ad uiginti libras decoctio redigatur.

¶ DE SPASMO Seu contractione.

DE ea cõtractione tractamus, quæ ex noxio humor̄ fit, ſiue in uno membro fiat, ſiue in pluribus, & quæ uel ẽproſthotonus dicat̄, uel opiſthotonus, uel tetanus. talemq; morbum flegma ſæpius gignit craſſius illo, ex quo fit paralyſis. Itaq; de ſpaſmo nunc tractamus, non ut ex ſiccitate contingit, aut inanitate, propter uigilias, aut morbum diuturnum, ſed ut ex noxia gignitur materia, & qui eſt difficilis curationis. In talis igitur morbi curatione priuſq̃ ſumi incipiat potio ligni ſancti, purgandus eſt æger, tollendaq; aut minuenda cauſa morbi antecedens, hoc eſt noxius humor flegmatis craſſioris, cibo quoq; atq; alijs obſeruationib⁹ diſponẽdum corpus ægroti ad legitimam ligni ſancti curationem. In ipſo autem curationis initio contracta membra idoneo cataplaſmate fouenda ſunt, quod bis quotidie actu calidum apponendum eſt. Ipſum autem cataplaſma fiat in hũc modum, libra una ligni ſancti in puluerem redigatur incernaturq;, tum ferueat in aqua cõmuni in uaſe fictili duas horas, deinde addantur ex corticibus radicum altheæ præ-

paratis, acori, brioniæ, enulæ campanæ, ſingulorum manipu los tres. rurſuſq; ferueant una hæc omnia cum ligno ſancto. poſt hæc tundantur in mortario lapideo, atq; in formam deducātur cataplaſmatis. Hac aūt curatione nos uſi ſumus optimo ſucceſſu, præſertim in Iohanne Cordubenſi milite, Ab eaq; clariſſima urbe parentes noſtri originem trahunt, q diutino ſpaſmo afflictus fuerat toto corpore, præſertim in octo muſculis uentris inferioris, ac ſæpe a peritiſſimis me dicis curatus nihil profecerat. imo in paralyſin incurrerat & epilepſiam. Is itaq; per nos curatione ligni ſancti, præuia, quam diximus, diſpoſitione, decima curationis die leuatus cruciatu eſt atq; dolore, uigeſima uero prorſus eſt morbo li-beratus, redditusq; perfectæ incolumitati. Hæc autem legi-tima curatio eſt per ligni ſancti potionem.

¶ In iuuene cholerico uel ſanguineo.

HIc æger, ſi imbecillus fuerit, reſumptiua utatur dicta tota curatione. Pro eo uſq; ad mediā curationem ſy-rupus fiat ex ligni ſemilibra, aquæ libris duodecim, quæ ad nouem redigātur, feruentes in fictili uaſe. inde ſumat utraq; potione ſemilibra, ſecunda decoctio in potu ex treſdecim aquæ libris redeat ad nouē, feruēs in balneo mariæ. In ſtatu & deinceps fiat ſyrupus ex libra una ligni aquæ ſexdecim, quæ in uaſe fictili redeāt ad ſeptē. Semilibraq; item ſumat utraq; potione. Aqua ſecunda in potu ferueat in gemino uaſe, atq; ex uiginti libris ad quindecim redigatur.

¶ In iuuene flegmatico uel melancholico.

CIbetur is æger tota curatione dieta regulari. Pro quo uſq; ad mediam curationem fiat ſyrupus ex una libra ligni, aquæ ſexdecim, fiatque infuſio per horas duodecim, ferueatque in uaſe fictili ad ignem carbonum, donec ad ſex libras redigatur. Sumatq; ſemilibram æger tam matutina potione, q̄ȝ ueſpertina. Secunda decoctio in potu fiat in

gemino uaſe redigaturq; e uiginti libris ad decem. In ſtatu & deinceps ſyrupus fiat ex libra una ligni, ſexdecim aquæ, fiatq; infuſio, ut ſuperior, ferueatq; in uaſe fictili, donec ad quatuor tantum libras redeat decoctio. Inde ſumat æger utraq; potione, ſi robuſtior fuerit, octo uncias, ſi minus robuſtus ſex, quatuor uero ſi nimis imbecillus. Aqua ſecunda in potu ex uiginti libris feruendo redeat ad octo.

¶ In ſenibus eadem ſeruanda, niſi quod propter exceſſum flegmatis in ea ætate audacius fieri poterit intenſioris decoctionis ſyrupus & aqua ſecunda.

¶ Hæc autem ſpaſmi curatio ſeruanda etiam eſt in tortura oris, cœteriſq; morbis, in quibus ineſt cõtractio.

¶ DE FLVXV. Nimio lachrymarum.

DE lachrymarꝝ fluxu tractamus contingenti nõ natiuo de eo tamen qui diuturnior eſt, nec facile curatur.
cap.220. Iſq; humor uel e medio craneo, ut ait Aui. tertia tertij, uel extra craneum ſcateat, ac per oculos fundatur, De cancro autem, aut duricie cuiuſuis apoſtematis oculorꝝ tunc tractabimus, quũ de apoſtemate in uniuerſum diſſeremus. Fluxus igitur lachrymarꝝ hoc ritu curandus eſt p lignum ſanctum.

¶ In cholerico iuuene uel ſanguineo.

CIbet hic æger tota curatione dieta regulari. Syrupus pro eo fiat initio curationis ex ligni ſemilibra, aquæ libris decem, quæ in uaſe fictili feruendo ad ſex redigantur, in increméto & ſtatu fiat ſyrupus ex ſemilibra itidem ligni, duodecim libris aquæ, fiatq; infuſio per horas duodecim tum ferueat in fictili uaſe donec ad quatuor libras redeat decoctio. In declinatione fiat ſyrupus ut initio curationis. Sumatur uero per totam curationem ſemilibra utraq; potione. Secunda decoctio in potu ex libris quindecim in eodem uaſe fictili feruendo redeat ad decem.

¶ In flegmatico

¶ In flegmatico uel melancholico.

EAdem ſeruetur dieta in hoc ægroto, Syrupus uero fiat ꝑ eo tota curatione ex libra una ligni, aquæ ſexdecim, redeatq; decoctio ad libras quatuor feruens in fictili uaſe. Inde ſumantur in utraq; potione uſq; ad mediam curationem unciæ quatuor, deinceps uſq; ad finē ſemilibra. Aqua ſecunda in potu ex libris uiginti feruens in eodē uaſe redeat ad decem. Atq; hoc pacto nos inter cœteros curauimus filiū Viri Magnifici Raphaelis Vitalis ex ueteri morbo fluxus lachrymarū cum graui opthalmia, nec poſtea recidit unq̄ iuuenis in morbum ſed permanſit abſolute incolumis.

¶ In ſenibus idem ſeruandus eſt ritus curationis, habita tamen ætatis ratione, ut ſæpius admonuimus.

¶ DE AVRIVM MORBO, AVDITV VIDELICET OBTVSO.

OBtuſus grauiſq; auditus & ſi multiplex eſt, de illius tñ generis morbo hic tractamus, qui ex frigido humore cōtingit, Siue neruo interiore auditus affecto, ſeu ipſa tantū aure. Is igit̄ morbus ſi iam inueterauit, nec alia illi ſubuenerint remedia, inminuto prius humore noxio & cauſa ipſius morbi, hoc ritu curetur per lignum ſanctum.

¶ Cholericus iuuenis uel ſanguineus cibetur initio curationis dieta regulari, á ſtatu autē uſq; ad finem dieta ſit reſumptiua. Ab initio uſq; ad augmentum fiat ꝑ eo ſyrupus ex ligni ſemilibra, aquæ libris decē, ferueat infuſio in fictili uaſe donec ad libras quinq; redeat decoctio. Aqua ſecūda in potu ex duodecim libris ad nouē redigat̄. Ab incremento ad finē curationis fiat ſirupus ex ſemilibra item ligni, decemq; libris aquæ, ſed ad tres tantum libras redeat decoctio. Aqua ſecunda ex libris duodecim ad ſex redeat. Ex ſyrupo ſumatur ſemilibra tam mane q̄ ueſperi tota curatione.

Flegmaticus uel

¶Flegmaticus uel melãcholicus iuuenis regulari dieta utãtur tota curatione, ſyrupus pro eo uſq; ad declinationẽ fiat ex libra una ligni, aquæ duodecim redeatq; decoctio ad libras quinq;. Semilibraq; inde ſumatur utraq; potione: In declinatione atq; uſq; ad finem curationis, in ſyrupo ſit una quoq; libra ligni, ac nouẽ aquæ, redigaturq; decoctio in fictili uaſe ad tres libras, atq; utraq; potione ſumatur una libra. Aqua in potu fiat ex libris aquæ duodecim, quæ decoctæ redeant ad decem. In ſene ſunt eadem ſeruanda, niſi quod adhiberi potius debet dieta reſumptiua.

¶De naſi morbis, polypo uidelicet alijſq; ulceribus.

POlypus eſt uomica in naſo, ſeu apoſtema, quod craſſius eſt atq; carnoſum. Orit' ſæpius ex hæmorroidibus, deſinitq; in cancrum. Quaꝓpter facilius hæmorroides curãtur, quam polypus, cãcer polypo difficilius. In cauſa eſt polypo pituita & a trabilis ex morbi calore corrupta, reſoluto tenui humore, craſſoq; cõcreto in materiã carnoſam. Diminuto igit' ante legitimã curationem humore noxio, ãmoueatur a perito Chirurgo quãtũ fieri poterit materia illa carnoſa, uel ferro, ut a me complures curati ſunt, uel cauterio, uel alio quouis inſtrumento artis aut remedio. Ita ut cauſa cõiuncta pœnitus deleatur, morbusq; nõ recidat, mẽbrumq; ſuſcipiens foueatur, curetur emittens. Poſt hæc ligni ſancti curatio adhibeatur.

¶Cholericus iuuenis uel ſanguineus dieta regulari cibetur tota curatione. ſyrupus fiat ex octo uncijs ligni, aquæ libris decem, redeatq; decoctio ad quatuor libras. Inde ſumatur utraq; potione uſq; ad mediã curationem ſemilibra, reliqua curatione ſumãtur unciæ octo. Aqua in potu ex duodecim fiat aquæ libris, quæ ad octo redigantur decocta. Si autem robuſtior fuerit æger, poterit in ſyrupi decoctione apponi libra integra ligni.

¶Flegmaticus uel melāch olicus iuuenis regulari quoq; dieta utatur tota curatione. Syrupus fiat ex aquæ libris quindecim, ligni uero, uſq; ad mediā curationem libra una & ſemis, deinceps libra tantū, redigaturq; decoctio in fictili uaſe ad libras quinq;. Aqua in potu in eodē fictili uaſe decocta, ex uiginti libris redeat ad quatuordecim. Senibus cibo utendū eſt ampliore, ꝑpter ætatem imbecillem, remiſſiore ligni decoctione. Notādum aūt, quod eodem ſyrupo licet polypū ipſum uel ulceroſum uel ſine ulcere fomētare uel lauare, uel aliquo inſtrumento artis decoctionē quoquomodo inijcere atq; apponere. Incredibilem enim præſtat opem decoctio ipſa extra apposita, digerendo, mundando, ſolidando ulcera uomicasq;.

De linguæ ſpaſmo & ranula.

Linguæ ſpaſmus & ranula polypi ritu curandi ſunt. Ranulæ uero, ſi ad cancrum uergit, deligenti manus operatione ſubueniendum eſt, & ligni ſancti potione.

¶De gingiuarum imbecillitate, de fluxu humoris, de ulceribus, ac dentium commotione.

Gingiuarum imbecillitas & emollitio, ulceraque, fluxusque humoris, atq; commotio dentium, cauſam habere ſolent a membris principalibus affectis. ut ex calidiore cerebro humores nimios attrahente, refundenteque gingiuis, quibus humoribus noxijs illæ corrūpuntur: ex aduſto ēt iecore ſtomachoq; affecto, humores corrumpente, qui ꝑmeant ad ipſas gingiuas. Cauſa igit̃ cognita morbi, ſi alia remedia nō ſubuenerint, inminuta prius ac fracta ipſa morbi cauſa ligni ſancti curatio adhibeat̃, ad hunc modū.

¶Cholericus iuuenis aut ſanguineus, dieta cibetur reſumptiua, ſed tenui, quantum cōplexio patitur, tota curatione. Syrupus pro eo fiat uſq; ad mediā curationem ex libra una ligni aquæ duodecim, redeatq; decoctio feruēs in fictili uaſe

ad ſex libras, reliqua curatione ſint cum una libra ligni quindecim aquæ, ac redeat decoctio ad quatuor libras. Atq; in utraq; potione ſumatur libra ſemis. Aqua in potu ex libris uiginti decocta redeat ad quindecim.

¶ Flegmaticus uel melancholicus iuuenis cibet̃ dieta regulari uſq; ad mediã curationem, deinceps reſumptiua. Syrupus pro illo fiat tota curatione ex libra una ligni, duodecim aquæ, fiatq; infuſio ꝑ horas duodecim, inde feruens in fictili uaſe ad quatuor libras decoctio redigatur. In ſecunda decoctione libræ aquæ uigintiquinq;, ad quindecim redeãt in eodem uaſe feruẽtes. In ſenibus idem ſeruãdus eſt ritus, habita, ut toties diximus, ætatis ratione. Adhibeat̃ præterea gingiuis frequẽs lotio, atq; omnib⁹ horis, uel ex decoctione ligni, uel alio quouis humore medicato ad morbum pertinente. Percoctus aũt aut biſcoctus panis, propter putres gingiuas macerandus eſt uel iure pulli uel aqua ſyrupi.

¶ De pectoris morbo aſmate hoc eſt difficili anhelitu.

ASma, hoc eſt difficilis reſpiratio atq; anhelitus nõ ſimplex ẽ morbus, atq; ĩ quatuor ſpẽs diſtribuit̃, oĩbus tñ eadẽ põt cauſa cõtingere humoris noxij. Atq; in ſenib⁹ qdẽ nõ ẽ fortaſſe morbi materia diſſolubilis. Quũ tñ ex uiſcoſo humore factus eſt aſmatis morbus, licet peruetus ſit, ſi non profuerunt aliæ medicinæ, tenuata prius morbi materia, & imminuta, ligni ſancti curatio adhibeatur. In ligni aũt decoctiõe admiſceri licet palmaꝝ fructus, quos dactylos dicũt, hyſopus aliaq; ſimplicia utilia morbo. Eademq; facienda curatio eſt in uetere tuſſi, apoſtemate, cæteriſq; pectoris morbis aſmati ſimilibus. Ante legitimã uero ligni curationẽ æger hoc pacto præparet̃, ut duos circiter menſes utat̃ quidem cõſueto cibo, ſed talis, qui & facile cõcoquatur, nec excitet morbum. In potu aũt loco uini ſumatur ligni decoctio, quæ talis fiat, Sint unciæ tres ligni, aquæ libræ uiginti, fiat

infuſio per

infuſio per diem & noctem, inde ferueat in uaſe fictili ad ignem carbonum horam unam, tum ponatur in decoctio-ne hyſopi manipulus unus, dactylo℞ libra ſemis poſt hæc rurſus ferueat, donec ad quindecim libras redeat decoctio: legitima uero curatio talis fiat.

¶ Cholericus iuuenis uel ſanguineus cibãdus eſt uſq; ad mediam curationem dieta regulari, deinceps reſumptiua. In ſyrupo ſit libra una ligni, aquæ duodecim, hyſopi & dacty-lo℞ quantum oportebit, fiat decoctio in fictili uaſe, rediga-turq; ad ſex libras uſq; ad mediã curationem deinceps ad libras redeat quinq;. Sumãturq; utraq; potione unciæ qua-tuor: Aqua ſecunda ex libris uiginti ad quindecim redigat᷑.

¶ Flegmaticus iuuenis uel melãcholicus utat᷑ tota curatio ne dieta regulari. Syrupus fiat ex libra una ligni, aquæ uiginti, redeatq; decoctio feruens in fictili uaſe ad libras decem, poſt hæc apponat᷑ in decoctione hyſopi & dactylo℞ quantum ſat fuerit, agarici uero dragmæ duæ, tum feruere ꝑgat decoctio, donec ad ſeptem libras redigat᷑. Ex eo ſyrupo ſu-matur tam mane ꝙ; ueſperi ſemilibra uſq; ad augmentum, deinceps uſq; ad finem curationis unciæ octo. Aqua ſecũda in potu ex uiginti quinq; libris redeat ad decẽ & octo appo-ſitis in decoctione dactylis, aut tale aliqd pectori utile. Eadẽ uero in ſenibus ſeruãda ſunt, habita ætatis ratione. Ac licet non poſſit in ea ætate ſalus reſtitui ab eo morbo, nõ tamen deſerendi ſunt ſenes, uel decrepiti. Cõtinendus enim eſt cu-ratione in ſenibus morbus, ne augeatur.

¶ De Phthiſi hoc eſt tabe.

ET ſi tabes, lætalis morbus, qui Phthiſis græco nomine dicit᷑, nullã habet ſpem certã ab arte medica, nõ tamẽ eſt omnino illius curatio deſperãda, præſertim initio morbi atq; uſq; ad ſtatũ nec ꝓpter incertã ſpem curationis deſtitu endus eſt æger ope medicinæ, ut certiſſime pereat, ut Gale.

præcipit in libro de ingenio ſanitatis. In recenti igit͛ morbo, atq; p incrementum, ſeruari præcipimus legitimã curatio- nẽ, quæ ab artis autoribus tradita eſt. Ligni uero ſancti me- dicinã cõtendimus eſſe huic morbo ſalutarem, cum præſtet hoc lignum ſimplicib⁹ uniuerſis, quibus medicina utitur, ut priore libro docuimus, atq; ex omnibus qualitatibus, aduer ſuſq; omnes operari poteſt ob uariam ipſius medicinæ cõfe ctionẽ multipliciq; ſua ac ſalutifera uirtute modis omnibus male affecto corpori ſubuenire. Calida enim ui & ſicca uiſ- coſas materias incidit, ne pulmonẽ corrumpãt, ulcera uero ipſius pulmonis exiccat, purgat, integrumq; pulmonẽ red- dit. frigida ui & ſicca ſolidat, ac fluxum ſanguinis, ſi quis eſt, reſtinguit. frigida & humida ui humectatis atq; refrigeratis febrem oſſium frãgit. humidũ quoq; uitale reficit ac fouet. Itaq; quoniam huic morbo uaria eſt adhibenda medicina,
cap. 1. uarijq; neceſſarij ſunt effectus, ut Aui. præcipit prima quar- ti de hectica curatione, nulla poteſt alia medicina curari tã cõmode Phthiſis ipſa quã ligno ſancto. in quo diuerſæ ſunt uirtutes & operationes, maximeq; ſalubres. Quoniam uero multa ſunt hecticæ cõmunia cũ Phthiſi, eadem erit curatio ſeruãda in utroq; morbo, ubi eadem erit ratio utriuſq;, ut eo tãtum differãt, quo excedens & exceſſum, Autore Iſaac ſecũ do libro de febribus. Et quum eadem cauſa eſt hecticæ, quæ
cap. 1. Phthiſis, ut idem Autor. tradit tertio libro. Quũ igitur hecti ca febris nõ habet aliã rationẽ a Phthiſi, ſed illius eſt potius accidens quoddam, idem ſeruãdus eſt modus in curatione.
cap. 4. Illo tñ in primis præcepto ſeruato Auicẽnæ prima quarti, ut ſi cauſa hecticæ fuerit apoſtema, aut læſum aliter aliquod membrũ, in eo primũ curatio adhibeatur, cauſaq; auferatur morbi, & origo. Præterea eadem inſtituatur curatio in hæcti cã & in Phthiſi, ad hunc modum. Ante legitimam ligni cura tionem duos circiter menſes, præbẽda ægro ſunt electuaria

iuxta artẽ,uel ſyrupus,ut morbus exegerit. In potu aũt loco uini ſumatur ab ægroto decoctio ligni,quæ talis fiat. Ponãtur in aqua ordei purgati unciæ tres ex ramentis ligni. ibiq; pmaneant quatuor horas. deinde proiecta aqua ipſa ordei in qua fuerat lignum , in alterã rurſus ordei aquam ponantur ipſa ligni ramenta,ſintq; aquæ ſexdecim libræ,ferueatq; infuſio hæc in gemino uaſe,donec ad libras undecim redigatur. Poſt hæc ad legitimã curationem aptius erit ægri corpus tã diu affectũ aſſumpta huius ligni ſancti decoctione.

¶ Cholericus iuuenis uel ſanguineus cibetur dieta reſumptiua addito etiã cõtuſo pullo,uel iure pulli cõſumpti , p ægri corporis imbecillitate ſyrupus huiuſmodi fiat , Ramentoꝝ ligni unciæ quatuor , aquæ ordei purgati ſint libræ decem. fiat infuſio p duos dies & noctes , poſtea ferueat in gemino uaſe,donec ad libras ſeptẽ redigat᷑. inde ſumat᷑ in potione libra ſemis. Si aũt intẽtio magis ad uires ſit,quã ad morbũ, una tantum ſit quotidie potio ſyrupi,ut largius poſſit æger cibari,meliusq; cõcoquere. Si magis ad morbũ eſt intentio , duæ ſumantur ex more ſyrupi potiones , mane ac ueſperi. Quod ſi electuariũ præberi uiſum fuerit reſumptiuũ hora ſyrupi,uel ſyrupi potio minuat᷑, uel ſpatium tribuat᷑ cõcoctioni. Si uero ſyrupũ ipſum quis & curatiuũ eſſe uoluerit, & reſumptiuũ,appoẽdũ eſt i decoctione pectus gallinæ uel caponis. Tunc aqua in potu fiat ſecunda ligni decoctione ad hunc modũ. Sint unciæ tres ligni,aquæ ordei libræ uiginti,ferueat iuſuſio,donec ad quindecim libras redigat᷑. Atq; hæc fiant uſq; ad incrementũ curationis. Deinceps uſq; ad finem,ſyrupus fiat ex ligni libra una aquæ ordei libris duodecim,fiatq; infuſio p diem & noctem,deinde ferueat in uitreo uaſe donec redeat decoctio ad libras quinq;. Ac ſi pectus caponis in decoctione poſitũ eſt , aqua in potu fiat ex quatuor uncijs ligni, aquæ ordei libris uiginti, ferueatq;

infuſio donec

infuſio donec ad treſdecim redeat libras.

¶ Flegmaticus uel melancholicus iuuenis cibet̃ ut ſuperior, ſyrupus fiat ex ligni ſemilibra aquæ libris duodecim, ferue= atq; infuſio in fictili uaſe donec ad quinq; libras redigatur. inde ſumatur utraq; potione libra ſemis, Aqua in potu fiat ſecũda decoctione de more, in uitreo uaſe, ſintq; aquæ libræ quindecim, quæ feruendo redeãt ad decem. De ſenibus hoc loco, præſertim decrepitis, nihil præcipimus. quoniam per raro in eis curatio contingit.

¶ De faſtidio cibi.

FAſtidij cauſas tradit Aui. fen decima tertia tertij cano nis tum malã cõplexionem frigidã, frangentem duas uirtutes, ſenſiuam & attractiuã, tum magis flegma plurimũ uiſcoſum, hærẽs i ſtomachi orificio, quæ ſedes eſt appetitus cibi, quemadmodum in fundo ipſius ſtomachi fit cõcoctio. quod eodem loco præcipit Aui. Quãobrem quod de faſti= dio cibi præcipit̃, ad lãguidam quoq; cõcoctionem eſt refe= rendum. Siue ex cerebro id eueniat, ſeu ex epate ad frigidum inclinãte, ſeu ex alio membro atra bile affecto, cauſaue alia quacunq;. Cum igitur morbi cauſa fixa fuerit, nec alia pro= fuerint remedia, ad ligni ſancti eſt medicinã cõfugiendum. Præparet̃ uero æger ante legitimã ligni curationem ſaltem diebus triginta. quo tempore cibo utat̃ reſumptiuo, ſed eo tenui, & qui nihil officiat, Vinũ autem non bibat, nec aliud quam ligni decoctionem, quæ talis fiat. Ramentorum ligni unciæ quatuor ſint, libræ quindecim aquæ, redeatq; deco= ctio ad libras duodecim. Poſt hæc legitima curatio ineatur.

¶ Cholericus iuuenis uel ſanguineus utat̃ uſq; ad incremen tum curationis dieta regulari, deinceps uſq; ad finem reſum ptiua. Syrupus tota curatione fiat ex ligni ſemilibra aquæ libris octo, redigaturq; decoctio feruens in fictili uaſe ad quatuor libras.

quatuor libras atq; libra ſemis ſumatur utraq; potione. Aqua in potu ex libris quindecim redeat ad nouem.

¶ Flegmaticus uel melãcholicus iuuenis cibetur tota curatione dieta regulari. In ſyrupo ſint octo unciæ ligni, aquæ libræ duodecim, fiat infuſio p diem & noctem, tum ferueat in fictili uaſe donec ad libras quinq; redigatur, ſumaturq; libra ſemis tota curatione mane ac ueſperi. Aqua in potu ex libris quindecim redeat ad decem.

¶ In ſenibus eadem ſeruanda ſunt, habita ætatis ratione.

¶ De fœtido ſpiritu.

¶ Eadem fiat curatio, quæ de faſtidio cibi tradita eſt, in ægro flegmatico.

¶ De ſtomachi apoſtematibus.

DE eo apoſtemate ſtomachi hic pcipimus, quod fixã habet cauſam, nec facile curať. Huiuſmodi uero apoſtemata frigida, diuerſa fiunt loco & ſitu. Cauſam uero tradit Auic. fen decima tertia tertij tractatus, flegma eſſe, uel atram bilem in ſtomacho paulatim congeſtã. Alijs igitur nõ iuuantibus medicinis, ligni ſancti curatio adhibeatur. Itaq; cibetur æger tota curatione dieta regulari. Pro eo ſyrupus fiat ex libra una ligni, aquæ duodecim, redigaturq; decoctio in fictili uaſe ad ſex libras. inde ſumatur utraq; potione ſemilibra uſq; ad finem curationis. Aqua in potu ex libris decem & octo redeat ad duodecim. In frigida uero complexione & ætate ſyrupi decoctio ad quatuor tantum libras redeat ex duodecim.

¶ De iecoris ſeu epatis morbis,
De carnoſo ac duro apoſtemate.

VAlde difficile eſt in uno quouis ſimplici proprietates inueniri, quæ affecto iecori neceſſariæ ſunt, ut in decima quarta præcipit Auic. Sic ipſas enumerando uidelicet amaritudinem, ſtipticitatem, odorem, maturationem, lenificationem,

ad duodecim. Atq; in hoc etiã morbo admiſceri herbæ poſſunt in ſyrupi decoctione aptæ ad morbũ cũ uini præparatiõe ut in.4.libro dilucidabo:cũ hydropicus a uiſione aquæ
cap.13. nedũ a potu ipſius quãtũ poſſibile eſt ꝓhibẽdus,ut Aui. ꝑcipit fen.xiiij.tertij. Eadem uero adhiberi curatio poteſt regio morbo ſeu arcuato uel ichterico, itẽ ſplenis apoſtematibus, ut nos multos cognouimus eſſe curatos.

De morbis renum. De Veſicæ ac renum ulceribus.

VEſicæ ac renum ulcera,quæ cauſam habẽt ab humore aliquo noxio corrodente,incidente, aut exulcerante, aliamue ſimilem cauſam,eadem fere ratione curari poſſunt. Quum is uero morbus inueterauit,nõ ſuſcipit curationem, niſi cum ingenti moleſtia,ut proprio capite tradit Aui. Hac tamen curatione ligni ſancti ſpes maxima eſt ſalutis, Vt ſæpius nos experimento cognouimus. Quendamq; uidimus decrepitum ſenem octogenarium , qui uiginti annos ulcera paſſus fuerat in ſubſtantia renum , cum dolore uehementi, medicina ligni ſaluti reſtitutum,atq; omnino incolumem.

¶ Iuuenis igr̃ cholericus uel ſanguineus utat̃ tota curatione dieta regulari , taliq; ſyrupo. Ex libra una ligni ,quindecim aquæ, fiat infuſio cõmunis ꝑ horas duodecim , ferueñſq; in fictili uaſe ad libras quinq; deueniat. ſitq; in utraq; potione ſemilibra. Aqua ſecunda ex uiginti libris redeat ad quindecim, feruens in balneo mariæ.

¶ Flegmaticus quoq; uel melancholicus iuuenis regulari dieta cibandus eſt. Syrupus ut ſuperior fiat,ſed ad quatuor tantũ libras redeat decoctio. Aqua ſecunda ex libris uiginti quinq; redeat ad quindecim in fictili uaſe. Eademq; fiat curatio in ſene. Illud uero animaduertẽdum eſt, quod ad omnem intẽtionem curandi ulcera ueſicæ, maxime etiam prodeſt extrinſecus prima ligni decoctio, iniecta intra ueſicam aliquo artis commodo inſtrumento.

¶ De uuluæ morbis.

¶ De Vuluæ morbis,ſeu matricis.

De fluxu ex matrice.

QVum ſunt in mulieris corpore ſuperuacui humores,ac noxij, præter mẽſtruos, ad matricem omnes defluũt,tanq̃ ad corporis ſentinam. Itaq; fluxus fit nimius ex matrice. Eius morbi & cauſas & qualitates Auic. docet fen uigeſima prima. Id malũ cõceptionem omnino prohibet,& præterea eſt ipſi mulieri pernicioſum. Quamobrem cum alia remedia non profuerint, curatio adhibeatur per lignum ſanctum ad hunc modum.

¶ Mulier fluxũ ex matrice patiẽs ꝓpter iecoris caliditatem, cibetˀ uſq; ad ſtatum curationis dieta regulari, deinceps reſumptiua. Pro ea ſyrupus tota curatione fiat ex libra una ligni,quindecim aquæ,fiatq; decoctio in uaſe fictili,redeatq; ad libras ſeptem. ſitq; ſemilibra in utraq; potione uſq; ad ſtatum, deinceps unciæ octo. Aqua ſecũda in potu ex libris uiginti redeat in eodem uaſe ad duodecim.

¶ Mulier uero fluxum patiens ꝓpter frigiditatem iecoris aut alterius membri, cibetur tota curatione dieta regulari, niſi uires defecerint. In ſyrupo ſit libra ligni, libræ ſexdecim aquæ, fiatq; communis infuſio per horas duodecim. tum feruens in fictili uaſe ad ſex libras redigatur. Sumaturq; libra ſemis tota curatione mane ac ueſperi. Aqua in potu ex triginta libris in eodem uaſe redeat ad uiginti.

¶ De ſterilitate.

STerilitatis cauſæ tradũtur ab Aui. fen uigeſima prima. Coginta igitˀ cauſa, priuſq̃ ad ligni decoctionem ueniatur,purganda eſt ſæpius mulier, noxiaq; materia, & cauſa morbi tollenda,aut q̃ maxime poterit minuenda. poſt hæc decem aut quindecim dies utatˀ balneis mulier. deinde cibetˀ duos circiter mẽſes cõmuni cibo,ſed qui nõ officiat. In potu autẽ hac omnino utatur ligni decoctione loco uini, ligni

ſancti ſemilibra, aquæ ſint libræ uiginti quinq;. fiat commu nis infuſio. tum feruens in uaſe fictili ad libras decem & ſe ptem redigatur. Ad hunc modũ diſpoſito mulieris corpore, legitima fiat curatio p ſyrupum, quæ deſcripta eſt ſuperius in fluxu ex matrice, ſi læſio matricis cauſa ſit ut mulier non concipiat. At ſi caliditas iecoris eſt p̃cipue in cauſa, curatio adhibeatur iuuenis cholerici iecoris apoſtemate laborantis.

De Cancro in matrice.

MAtricis Cancer ab aduſta melancholia ortum habet, ut docet Aui. tertia quarti, qui omnem deſcribit eius morbi rationẽ. Is morbus ægre curat̃ recẽs, cõfirmatus aũt uix retineri põt, ne augeat̃. Quapropter cum cœtera nõ profue rint remedia, cõfugiendum eſt ad ligni ſancti medicinam.

Cholera igit̃ aduſta exiſtente in cauſa morbi, cibet̃ mulier dieta reſumptiua tota curatione. Coquanturq; carnes cum frigidis herbis, ut cibus refrigeretur. Sirupus tota curatione fiat ex ſemilibra ligni, aquæ libris duodecim. fiat infuſio per diem & noctem, tum ferueat in fictili uaſe, redeatq; ad libras quinq;. Sitq; libra ſemis in utraq; potione. Aqua in potu ex quindecim libris redeat ad decem in uitreo uaſe. In flegma tica uero mulieris cõplexione ſecundum naturam, intenſior ſit decoctio ſyrupi, ut ad tres tantum libras redigatur.

Flegmate uero uel melancholia aduſta exiſtente in cauſa, utat̃ mulier dieta regulari tota curatione, niſi nimia imbe cillitas obſtet, Syrupus in fictili uaſe fiat ex libra una ligni, duodecim aquæ, fiat infuſio per horas duodecim, rede atque decoctio ad quatuor libras. Sumaturque libra ſe mis tota curatione mane ac ueſperi. Aqua in potu ex libris uiginti redeat ad decem. Eadẽ uero decoctio prima ſyrupi in matricem ſæpius iniicienda eſt actu calida, ut extergatur cancer, dematurq; aliquid de cauſa coniuncta. Atque hæc extrinſecus appoſitio decoctionis mirifice prodeſt. eadẽ uero

curatio ſeruanda

curatio ſeruãda eſt in cãcro mãmillæ,uel in quocũq; mẽbro cancer fuerit tam mulieris q̃ uiri. Ipſa autem curatio non ſemel adhibenda eſt in morbo hoc tenaciſſimo & teterrimo, Sed ſæpius eſt(ſi opus fuerit) repetenda.

¶ De ulceribus cæteris matricis.

RElíqua matricis ulcera curatione ſanẽtur ulcerꝝ renũ & ueſicæ. Si aũt uomicas habeãt,ſintq;(ut aiũt) fiſtuloſa,curatio adhibeatur cãcri in matrice. Qualia ego curaui Neapoli in polyxena uxore nobilis militis Calderonis quæ fiſtuloſa ulcera patiebať,& magnũ cancrũ in matrice inſtar oui gallinacei, ob nimiũ fluxũ, ac ꝑpter præcedẽtẽ abortũ.

¶ De hernia.

PLura ſunt herniæ genera deſcripta ab Aui. fen uigeſima ſecunda tertij tractatus, itemq; a Cælſo libro ſeptimo. Duo uero genera ſunt magis pnitioſa,alterꝝ quum omẽtum deſcendit in Scrotũ,quam herniã appellãt inteſtinalem alterꝝ genus eſt quod græco nomine cirſocœle dicitur, a pleriſq; latinorꝝ ramex,quoniã ramex fit in teſtibus, alij zirbalẽ dicunt,arabico nomine,In his tamen ipſis herniæ generibus pene deſperatis, curatos cognouimus cõplures ligni ſancti medicina,ſenes quoq; atq; decrepitos,eoſq; etiã ueteri morbo gallico laborãtes. Itaq; his duobus generibus hernia hoc pacto curetur in ægro naturæ calidioris. Cibetur tota curatione dieta regulari,Sit in ſyrupo libra una ligni ſancti,ſexdecim aquæ. fiat cõmunis infuſio,tum feruens in fictili uaſe ad ſex libras redigať. Sumaturq; mane ac ueſperi ſemilibra tota curatione. Aqua in potu ex uiginti libris redeat ad duodecim. In ægro frigidioris complexionis eadem fiat curatio, præterquam quod ſyrupi decoctio ad quatuor tantum deueniat libras. In reliquis herniæ generibus,carnoſa, aquoſa, uaricoſa,eadem curatio fiat,quæ ſuperius in cancro deſcripta eſt, ac propterea extrinſecus apponẽdum eſt emplaſtrũ

ex ligno ſancto, quod magnopere prodeſt, duobuſq; id modis inſtituimus. Vnum emplaſtrum tale fiat, libra una pulueris ligni ſancti tenuiſſime Cribrati ponatur in aqua fontana, quæ ferueat in uaſe fictili duas horas, deinde addatur corticum radicum altheæ, acori, brioniæ, cucumeris aſinini. Singulorum ſemilibra, rurſuſq; ferueat decoctio, qua perfecta, dum remouetur ab igne, addantur unciæ tres hermodactylorum pulueris tenuiſſimi. cōficiaturq; ex arte emplaſtrum in mortario, nihilq; ex aqua abijciatur. Alterum emplaſtrū. Adde ſuperiori deſcriptioni, armoniaci, bdelij, ſerapini, ſingulorum unciam unam cum dimidia, mucilaginis altheæ, fœnu græci, ſeminum lini, ſingulorum unciæ tres, fiatq; ex arte emplaſtrum ad formam cataplaſmatis. Prius autem in curatione apponatur emplaſtrū iuxta priorem deſcriptionem, deinde hoc alterum uehementius in carnoſa præcipue hernia.

De Elephantia & Varicibus.

DIfficilis eſt curationis uterq; morbus Elephātiæ ſeu lepræ, & uaricū, longoq; tempore parum proficitur, autore Auenzoar. Itaq; ligni ſancti opus eſt medicina, quæ aut abſolute auferat morbū, aut præſeruet. Curatio autem fiat eadem quæ fit in cancro matricis.

¶ De doloribus iuncturarum.

De podagra, iſchyadica & ſimilibus.

EAdem fere ratio curationis eſt in podagra iſchyadica, reliquiſq; morbis grauibus iuncturarum. Horum nos curationem ligno ſancto inſtituimus, nō modo ratione ipſa ſuadente, ſed quod frequenti cognouimus experimento fœliciter ſuccedere ligni ſancti curationem. Hoc autem loco ſuperuacuum putauimus, genera, & cauſas, & materias podagræ, iſchyadicæ, arteticæq; deſcribere. Quæ diligentiſſime a Galeno principe tractata & præcepta ſunt. Item ab Aui. fen. xxij. & ab alijs illuſtribus autorib⁹ artis medicinæ.

Neq; uero

Neq; uero mutari quicquam præcipimus his morbis curã dis de ipſorum authorum præceptione, Sed ſeruanda po- tius diligentiſſime illorum præcepta. Itaq; ante legitimam ligni ſancti curationem materia morbi & cauſa minuẽda eſt, iuxta morbi & ægroti qualitatẽ. Atq; purgato ægro, & recte diſpoſito, auulſa, quãtum fieri potuit morbi cauſa, & noxio humore, legitima curatio ineatur ad hunc modum.

¶ Cholericus iuuenis uel ſanguineus utatur dieta regulari uſq; ad mediã curationem, deinceps reſumptiua. Syrupus initio fiat ex ligni ſemilibra, aquæ libris decem, redeatq; de- coctio feruens in fictili uaſe ad libras quatuor. Sumaturq; ſemilibra utraq; potione. Aqua in potu ex libris quindecim redeat ad nouem, feruens in eodem uaſe. In incremento ſy- rupus fiat ex una libra ligni, quindecim aquæ, redeatq; de- coctio ad libras quinq;. Aqua in potu ex libris uiginti rede- at ad decem. Reliqua curatione pro ſyrupo ſit libra una li- gni & ſemis, aquæ libræ ſexdecim, factaq; infuſione cõmuni redeat decoctio ad quatuor libras. Aqua ſecunda ex libris uigintiquinq; ad decem redigatur.

¶ Flegmaticus uero iuuenis uel melancholicus reſumptiua dieta cibetur tota curatione. Syrupus fiat usq; ad ſtatum ex libra una ligni, ſexdecim aquæ, fiatq; communis infuſio, deinde feruens in uaſe fictili redeat ad ſex libras. Atque in utraque potione ſumatur ſemilibra. Aqua in potu ex libris decẽ & octo redeat ad duodecim. Reliqua curatiõe in ſyru po ſit libra & ſemis ligni, quindecim aquæ, infuſioq; feruens in eodem uaſe ad libras redeat quinq;. Sintq; in utraq; potio ne unciæ octo. Aqua in potu ex libris uigintiquinq; ad qua- tuordecim redigatur. Circa finem uero curationis, Si adfue rit in doloribus humor noxius, ut cauſa coniuncta, empla- ſtrum apponendum eſt ligni ſancti affecto membro, quem- admodum eſt in hernia demonſtratum, prius, & poſterius.

prius autem emplaſtrũ ſit ſine hermodactylis. Initio autẽ curationis non ſunt adhibenda emplaſtra, quoniam magis attraherent, augerentq; morbi cauſam cõiunctam. Atq; hoc ritu curata eſt a me Illuſtriſſima Domina Dorothea Gonſaga Bitonti Marchiona ab iſchyadica, cum nulla ei antea remedia alia profuiſſent. Peracta uero curatione legitima dierum quadraginta, æger ueſcatur ſolito cibo, ſed qui nihil illi poſſit officere, loco autem uini duos aut tres mẽſes bibat ligni ſancti decoctionem, quæ talis fiat. ſint unciæ ligni quatuor in calida cõplexione, ſex in frigida, libræ aquæ uiginti quinq;, fiat decoctio in fictili uaſe, atq; ad decem & ſeptem libras redigatur. Quod ſi tam pertinax morbus non auferetur unica ligni ſancti curatione, bis, ter, ac ſæpius eſt curatio eadem repetenda.

De frigidis apoſtematibus.

De ſtrumulis ſeu ſcrophulis puerorum.

In frigidis apoſtematibus, ut cœtera õmittamus, in cauſa ponimus duram pituitã & craſſam, tanq̃ morbi radicẽ, cap.5. quanq̃ ex humore oriantur melancholico, ut Aui. tradit tertia quarti de nodis, & ſecunda primi, ubi tria diſtinguit genera, duricies, glandulas, & cancrũ. neceſſaria autem eſt euacuatio, & dieta, uomitusq; præcipue confert. In purgatione uero neceſſe eſt craſſum flegma educi, ut tertia quarti docet cap.10. Aui. Aegro igitur bene affecto & purgato, curatio incatur ligni ſancti ad hunc modum. Cibetur puer ſolito cibo, ſed eo q̃ aptiſſimo & optimo partiuſq; q̃ pro conſuetudine. In potu autẽ ſumat ligni ſancti decoctionem nec aliud quidq̃ bibat per duos menſes, quæ fiat huiuſmodi. In puero cholerico uel ſanguineo, ſint ramentorum ligni unciæ tres, aquæ libræ uigintiquinq;, redeatq; decoctio ad ſexdecim libras feruens in fictili uaſe. In flegmatico puero uel melãcholico, ſit ligni ſemilibra aquæ libræ triginta, redeatq; decoctio ad

uiginti. Atq;

uiginti. Atq; hoc pacto a me curatus eſt Neapoli puer ſeptennis Lucius Piſcicellus. Si aũt in ætate prouectiore permãſerint ſcrophulæ, aut recẽter cõtingãt, hmõi fiat curatio.

¶ Cholericus iuuenis uel ſanguineus utat̃ dieta regulari tota curatione. Syrupus fiat uſq; ad ſtatum curationis, ex ligni ſemilibra, aquæ libris duodecim, redeatq; decoctio ad libras quinq; feruens in fictili uaſe. Semilibraq; ſumat̃ utraq; potione. Aqua in potu ex libris quindecim redeat ad nouẽ. A ſtatu & deinceps decoctio ſyrupi redeat ad libras quatuor.

¶ Flegmaticus uel melancholicus iuuenis dieta regulari cibãdus eſt uſq; ad ſtatũ, deinceps reſumptiua Syrupus tota curatione fiat ex libra una ligni duodecim aquæ, fiatq; cõmunis infuſio, tum feruens in uaſe fictili ad libras quinq; redigatur, ſumaturq; ſemilibra utraq; potione. Si autem ſcrophulæ ſint canceroſæ, atq; multiplices & collectæ in modũ racemi, ægerq; ex toto ſit melancholicæ complexionis, adhibenda cura eſt cancri in matrice.

¶ Præter ligni ſancti curationem apponenda hoc loco uidet̃ noſtra unctio, quam ſalutarem ſæpius experti ſumus in ſcrophulis curandis. Ea unctio fit ad huncmodum. Sumatur axungiæ gallinæ, anatis, anſeris, urſi, taxonis marmontani, aſini, & muli, ſingulorꝫ uncia una, olei ſiſamini, amygdalarꝫ dulcium, liliorꝫ alborꝫ ex ſingulis uncia una, radicum altheæ, acori, brioniæ, fœnu græci, ſeminis lini, ſingulorũ uncia una, argenti uiui unciæ tres deſtillati ut inferius dicemus de morbo gallico, & extincti in mortario lapideo guttatim impoſita urſi axungia, tũ dente ligneo pilo atq; agitãte aſſidue, donec ueſtigiũ nõ appareat ipſius argenti uiui. Deinde reliqua, quæ diximus ſimplicia ponãtur in mortario unaq; oĩa piſtello agitata optime cõmiſceant̃, redeãtq; in formã ũctionis, qua æger tertio quoq; die aut quarto ungatur ad ignem ante cœnam.

DE MORBO GALLICO.
LIBER TERTIVS.

DE morbo quem gallicum appellant neminem ex antiquis ſcriptoribus aliquid in ſpecie atoma ſcripſiſſe comperio. In genere uero, nō nullos ex ueterib⁊ recentiores autumāt aliquid tetigiſſe coniectura quadam nō q̄ res ita ſe habeat, Nempe Cælius de Elephātia, Suetonius de uita Cæſarꝵ, Hypocrates. 3. particula aphoriſmorꝵ, atq; Gal: Ioānes Alexādrinus cōmentator. 2. Epidimiarꝵ & libro primo Epidimiarū de Feſto qui ſe interfecit, & Gale. de cholera nigra neſcio qd de hoc morbo referre uident̄: ſed crucient ſe iuniores uſq; dum libet in interpratanda nominis ſignificatione ac uerbi uim quatenus pro eis facit interprætent̄. Nemo tñ ſpeciale capitulū de huius morbi genere æditum demōſtrabit, Quamobrem quoniā optimus terminus eſt quem ſubſtantialem uocāt, ut ait Sapiens in primo tegni: De morbo gallico dicturi alijs diffinitionibus reiectis ipſum qd inquiramus cum Ariſt. præcepto. 2. Poſteriorꝵ, Morbus gallicus q̄ mala eſt epidimialis diſpoſitio totius corporis & humorꝵ eius unde ſympthomata mala ſequunt̄, quorꝵ quodlibet p ſe natū eſt morbi genus exiſtere, ſin autē & quid & propter quid diffinias, Morbus gallicus eſt multiplex morbi genus, quum mala qualitas contagione p coitus, uel aliqua ſyderū cauſa inficit pudibunda quibus infectis uiciant̄ uenæ capillares, deinceps magnæ uenæ, atq; arteriæ, nec nō & Epar ipſum & reliqua principalia mēbra. Quibus ita male affectis demum cæteræ totius corporis partes a tali morbo læſionē ſuſcipiunt, uel quouis alio modo cōtagionis ut patet exemplo in diffinitione febris peſtilentialis (liceat. n. nobis aliorꝵ ſententias exempli gratia admittere), quæ febris contagioſa eſt ex putrefactiua ebullitione in altero quatuor humorꝵ cordi ppinquorꝵ principaliter & ſecūdum plurimū cōtingens:

Cuius cauſa

Cuius cauſa inmediata ſeu cõiuncta eſt uapor putridus at-tractus ab aere corrupto & quaſi uenenato, hac de cauſa hu iuſmodi morbi difficulter curantur. Difficile enim eſt medi camen inuenire quod tot tamq; diuerſa humani corporis membra ſanaré & inſtaurare poſſe uideatur, Et merito dico diuerſa ob diuerſam cõplexionem, diuerſum ſitum, Craſſitu dinem, tenuitatem, duriciem, mollitiem, & poſitionẽ, ac etiã ob innumeras alias differentias: Quis enim in tot diuerſita tibus uicem ſupplere poterit, quin in medio curſu prſus nõ deficiat, ſiue hic morbus cõtingat ob incurſum Syderꝝ, ſeu Planetarꝝ, ſiue ab India, quam dicũt, nouã originem ducat, cum in ea regione nemo fere ſit, quin aliquãdo illum morbũ paſſus ſit, ut referunt qui illinc peregre rediere, ut hac ratio-ne aliqui morbũ Indicũ uocent, qua ppter diſcraſiã Epatis & maſſæ ſanguineæ malã qualitatẽ & cõtagioſam Syderꝝ in fluxu contingere putãdum eſt. Quæ cauſæ & ſi primitiuæ & antecedentes ſunt, tamen diuerſimode cõponunt & ope-rant pro diuerſitate cõdictionis & cõplexionis indiuidualis, Nam ſi maxima totius corporis repletio adeſt, & ſanguinis & cholæræ dominiũ tum poroꝝ amplitudinẽ ſine dubio pu ſtulis totum corpus inficiet, Et tunc a prædominãte deno-minationem accipiet. At ſi melancholicus fuerit æger cum meatuũ anguſtia & humoris groſſi tenacis, & ſic a dominio rara aut nulla apparebit puſtula, quæ res melancholiæ do-miniũ arguit, ita de cœteris dicendũ eſt. Quare nõ unus hu-mor tãtum, ut aliqui retulere, eſſentialiter peccat in hac dira ægritudine ſed diuerſi p diuerſitate cõplexionis & cõdictio nis indiuidualis, quare nõ mirãdum eſt ſi nũc raræ nũc innu meræ puſtulæ nunc unum ſympthoma nũc plurima appa-reãt. Habes ex his cauſas huius morbi, & varias ipſarꝝ com mixtiones, nõ igitur in aduentu huius morbi unicum ſemp motum ſignoꝝ ſiue affectuũ expectes, ut Iuniores ſentiunt,

 interdum enim

interdum enim plurimis cum puſtulis,interdũ ſine uel cum unica tãtum talis morbus initiũ ſumit,aliquãdo in pectine, uel in mento ,uel in frõte,uel in capite,uel quauis alia parte corporis,aliquãdo cũ doloribus inmediate uel poſt paucos menſes apparet, aliquãdo dolores nunꝗ̃ exuſcitat,uel longum poſt tẽpus ipſos ciet, interdũ nec puſtulæ in principio morbi nec dolores apparent,nec aliquod aliud ſignum, ſed macies & pallor quidã totũ fere corpus occupat, ob poroꝝ obſtructionẽ,uel ob aliã cauſam ꝑſeruantem & poſt multos annos tuboroſitates oſſuoſæ, ac acerrimi dolores aliaqꝫ his ſimilia ſympthomata oboriunt̃, quæ omnia ꝑ ſua ſigna demonſtratiua dignoſcunt̃, quum de unoquoqꝫ accidente ſpeciale capitulũ faciemus. Tunc enim quid ſit illud accidens, & quibus cognoſcendũ ſit ſignis indicabimus, ac eius curã, ſed ut ſingulas ægritudines a tali morbo genitas ordine curemus, eiuſqꝫ eſſentiã ſimul cognoſcere ualeamus. ponamus Socratem infici tali morbo,taliaqꝫ ſympthomata pati,uide licet ulcera uirgæ, puſtulas, iuncturaꝝ ac capitis dolores, aliorumqꝫ membroꝝ apoſtemata oſſuoſa, diuerſa ulcerum genera, oris ſclicet aliorumqꝫ membroꝝ manuum & pedũ ſerpiginoſas fixuras, ac alias paſſiones a capite ac pedes ſibi ſimiles,Hunc igit̃ Socratem ſi cholericæ inuenies uel ſanguineæ cõplexionis,ad cauſæ remotionẽ prius deuenias,cũ

3. reg. & .7. therap. &.13. cap.ulti. præcepto Gal. dicẽtis,unũ cõmune præceptũ habere oportet efficientẽ,unãquanqꝫ cauſam abſcindere,deinde ad eam quæ facta eſt diſcraſiã,fieri enim nõ poteſt ut morbus remoueat̃ cauſa ipſius permanente. Inquit Auic. quarta primi, phlobotomãdus igit̃ eſt æger in principio morbi,quod ſi fieri difficile eſt ꝑpter impediens aliquod digerat̃ & euacuet̃ pro morbi exigentia. Et quia cõmuni omnium ſententia & præcipue Galeni primo regiminis acutorum,humores raro ſimplices corrupti inueniunt̃, ſed cõmixti ut plurimũ, hin

eſt ꝙ

eſt q̄ pharmaca adhibenda ſunt cōpoſita. Quare in huiuſ-modi cholerici humoris aduſtione, tale Socrati digeſtiuum præbeas, ne uacua (quod dicit̃) manu in caſu ꝓpoſito ꝓce-deř uideamur. Re. ſyr. de ſucco borraginis unciā unā, ſyr. de ſucco fumiterræ unciā ſemis, aquæ fumiterræ uncias tres, di geſtaq; materia, ut decet, tali minuēda eſt lenitiuo. Re. caſſiæ nouiter extractæ unciā unā, diacatholiconis Arnaldi drag-mas ſex, zucchari uiolati uel mānæ uncias duas, aquæ fumi terræ, decoctiōis mirabolanoꝝ & tamarindoꝝ uel quo ma-lueris quantum ſufficit fiat potio uel bolus cum zucchara, qua diminuta materia denuo digerat̃ & euacuetur. Nam ut Hipocrates aſſerit ſecunda aphoriſmoꝝ, ægritudines quæ ex repletionibꝰ fiūt euacuatio ſanat, cuius ſyrupus ſit, Re. ſyr. de ſucco cicoreæ unciā unā, ſyr. lupuloꝝ unciam ſemis, aquæ cicoreæ uncias tres miſce, & euacuet̃ cum ſyrupo cō-poſito Auguſtini Sueſſani dicto, poſito a Guidone de Cau liaco cap. de lepra, cuius forma talis eſt. Re. mirabolanorum omniū ſinguloꝝ uncias tres, rheupontici, folioꝝ ſene epithi mi ſinguloꝝ unciā unā, polypodij quercini recentis libram unam, folioꝝ fumiterræ, & lupuloꝝ recentiū ſinguloꝝ librā unam & ſemis, yuæ arteticæ recētis unciam unam & ſemis, liquiritiæ mūdæ dragmas quatuor, floꝝ borraginis, florum bugloſſæ & uiolaꝝ ſinguloꝝ ūciā ſemis, oīum fiat decoctio & collatura uſq; ad libras duas, in qua miſceat̃ ſucci fumi-terræ & lupuloꝝ recētiū ſinguloꝝ libra una, zucchari optimi quantū ſufficit fiat ſyrupus ſecundū artem & aromatizetur, & cum muſci & ambræ pauco ligatoꝝ in panno lineo raro & ſuſpēſoꝝ in dicto ſyrupo, cuius doſis eſt unciaꝝ quatuor uſque ad quinque cum aqua lupulorum, aliqui addunt un-ciam unam uel duas cōfectionis amech, uel electuarij de ſuc co roſarum pro humoris & morbi exigentia. Vel cum ſyru-po noſtro expertiſſimo. Recipe ſucci borraginis ſucci roſa-

apho. 22

ſyru. de polipp.

rum rubearum

rum rubearum ſingulorum libram unam . mirabolano-
rum citrinorum, chebulorum, & indorum, & in dictis ſuccis infuſorum per diem ſingulorum uncias duas cum dimidia, Exinde leniter bulliant & colentur. Deinde accipe polipodii quærcini recentis libram unam, radicis acori unciam unam, ſeminis fœniculi dragmas duas, ſecundum artem fiat decoctio in aqua fontis de cuius collatura & præfata infuſione cum ſufficientia zuccari tabarzet fiat ſyrupus.

De Socratis curatione uirgæ ulcera patientis.

FActa diminutione cauſæ antecedentis, ad cauſam ipſam coniunctam deuenias, et primum ad ulcera priapi, quæ cum fuerint in principio & ſiccā membri læſi cōple
cap. 4. xionem intueri uolueris, ut præcipit Aui. quarta quarti hac medicina utaris ex deſcriptione noſtra: recipe thuciæ præparatæ cum uino albo, uiridis æris bene combuſti ſingulorum dragmas duas, aquæ plantaginis uncias duas, ferueant una unico feruore, & ea utaris aqua cum fuerit intētio mundandi pariter & conſolidandi, nam ſi conſolidandi intentio fuerit tantum, tunc Thuciæ dragmarum duarum ſit doſis, & uiridis æris dragmam ſemis, nec aliud in huius morbi cura medicamen adhibere tentes. Eſt enim bezoarticum medicamen omnium ulcerum quæ in uirga fiunt, Et ego tibi propono medicamina magis approbata in arte & mea praxi, quod ſi mundandi tantum intentio ſit, ſupradicta aqua ſic fiat. Recipe uiridis æris bene combuſti dragmas tres, Thuciæ præparatæ cum uino albo dragmam unā, uini albi aromatici unciam ſemis, aquæ plātaginis unciam unam & ſemis, ferueāt ſimul unico feruore. Et in adminiſtratiōe aquæ uas ſeu aquā ipſam agites, pro maximo ſecreto: ſi aūt ulcera ad corroſionē, ac latentē fraudē tēdere uidebūtur, cū egiptiaco mūdent totius cōmunitatis, q; ſi in mūdando huiuſmodi ulcera inobediētia fuerint, hāc in mea praxi uſitatam

mixtionem

mixtionē cōficias. Recipe ſublimati grana quinq; unguenti albi cāphorati dragmas tres oppij gr. duo miſce, ac ita bene confecto tantundē egiptiaci prædicti addatur & eo in ulcere ſordido, corroſiuo, ac fraudulēto utaris, nā mirū in modū opabitur. Deinde facta ulceris mundatione ad aquā prædictā mundantē & pro tuæ intentionis curatiuæ exigentia redeas. Quod ſi frequens prædictæ aquæ adminiſtratio eſt in cauſa, ut mēbra male affecta & ulcera nullā deniq; ſuſcipiant leuationē, Tunc puluis ex deſcriptione noſtra nobilis & in noſtra longa praxi expertiſſimus inſpgatur. Recipe Thuciæ præparatæ cū aqua plātaginis, antimonij, plūbi uſti, litargirij aurei, ceruſæ ſingulorū dragmas quatuor in puluerē quā minutiſſime redigantur, & decies in aqua roſarū præparentur, ac in umbra exiccētur, deinde adde ſanguinis draconis electi, aloes epatici ſingulorū dragmas duas & ſemis, Carici ligni dragmas tres conficiantur ſimul minutiſſime in formā alcohol & eo utaris puluere recentibus & antiquis ulceribus cōſolidandis, ac ad quācunq; uirgæ excoriationem, mirabiles enim effectus uidebis, nec ignoramus quiſ item quin puluis minus efficax ſit, q̄ illud quod ex eis eſt cū oleis & ceratis, nam neceſſitas producēs ad olea hinc eſt quod materie ſiccæ & proprie quæ ſunt ut merdaſengi non ſubmergantur uſq; ad profundum, neq; penetrant in poros, ut inquit Auicenna ubi ſupra, q̄ ſi uolueris aliquod experiri in cicatrizando ulcera priapi, & ſi in tali membro neruoſo unctuoſa abhorreā, tamen ob prædictā Aui. rōnem unguentū hoc expertus ſum & in magnatibus quotidie utor in hyeme. Re. olei antiqui centū annorū uel circa librā unā ceruſæ cribellatæ uncias tres cū dimidia, ceræ citrinæ. q. ſ. ferueāt lēto igne ſemp agitādo, donec ad fuſcedinē & colorē corticis caſtaneæ maturæ deueniat, ac eo unguēto utaris, cū nō ſolū ulcera uirgæ, ſed ēt quorū cūq; mēbrorū cōſolidare uolueris,

cap. 9.

Eſt enim

Eſt enim Principũ medicamen, & animaduertas ꝙ uelamine & ꝓprie clauſura ipſius mentulæ tumefacta exiſtente, ſi eius inuerſatio acquiri nõ poteſt, ac ſui ineptitudo ad alia medicamina te deuenire cogit, lotionẽ hanc intrinſecus mũdificantem adhibeas. Re. ordei pugillum unum, plantaginis manipulũ unum, abſintij manipulũ ſemis, balauſtiarꝛ contuſarũ numero tres ferueãt in aqua pluuiali & uino albo, & colaturæ adde uiridis æris bene cõbuſti dragmas tres, rodomellis uncias tres miſce & fiat lotio, & cum oriculario ſæpius lauet̃ actu calido, Et ſi extra mala cõplexio ac duricies aliqua phlegmonides affuerint, hac lotione membrũ foueatur. Re. folia maluarꝛ cum radicibus ſuis, plantaginis, uiolarum ſingulorꝛ manipulos tres, ferueãt ĩ aqua fontana, & actu calido membrũ epitimet̃, deinde cum eiſdem herbis calidis cataplaſmetur, facta aũt reſolutione & mundificatione cauſæ cõiunctæ, tali lotione ipſius ulcera cõſolidabis in declinatione, Re. nucũ cupræſſi, balauſtiarꝛ ſingulorꝛ numero, ſex roſarum, myrtorꝛ ſingulorũ pugillũ unum ferueãt in uino rubeo & aqua plantaginis partes equales, In quorum collatura & ſufficientia libræ unius diſſolue thuciæ præparatæ cũ uino albo unciã ſemis, uiridis æris bene cõbuſti dragmã unã cum dimidia miſce & cum orriculario adminiſtret̃, & peciæ cum prædicto unhuento fuſco ponant̃ intus more experti Chirurgi, ꝙ ſi duricies aliqua gũmoſa aderit in mẽtula, fueritqꝫ inepta reſolutioni tale apponas emplaſtrum. Re. emplaſtri diaquilõis minoris uncias tres, axungiæ urſi dragmas tres, mucillaginis altheæ, fœnu greci, & ſeminis lini ſingulorum unciam ſemis, cõficiant̃ lento igne ad formã emplaſtri ſecũdum artẽ, & ſi duricies nõ reſoluit̃ fiat hoc aliud, Re. emplaſtri diaquilonis maioris cum gũmis, & minoris ſingulorum uncias tres, axungiæ urſi, mucillaginis, fœnu græci, & ſeminis lini, & radicũ altheæ ſingulorũ unciam, cõficiantur ſimul

lento igne

lento igne ad formam emplaſtri ſecundum artem, q; ſi mentulæ inuerſatio demum acquiri non poteſt, tunc ad inciſionem ſecundum longitudinem uirgæ deuenias, inciſioque in ſiniſtro latere fiat ob uenarum carentiã, & ulcus cures more aliorum ulcerum, digerendo. ſ. mundificando, & conſolidando ꝑ morbi exigẽtia: ne obliuiſcaris tamen digeſtionis materiei & eius eradicationis, reminiſcaris etiam regimẽ in ſex rebus nõ naturalibus, quod gratia breuitatis ommitto, quũ de eo abunde alij dixerint.

¶ De curatione Socratis morbi gallici puſtulas patientis.

POſtq̃ uniuerſalia non oblitus es, ut ualeas particularia operari, puſtulis frequenter corpus inficitur, quæ diuerſæ pro diuerſitate humoris peccantis exiſtunt, Nã quæ cholericæ ſunt citrinæ ac magis extrinſecæ apparent, & quanto calidior & aduſtior cholera fuerit, tãto nigrior & magis fuſca ac cruſtoſa eorum ſuperficies apparebit, ſin autem ſanguineæ ſunt, quodammodo ſanioſæ & in toto eorum circuitu uel in aliqua parte tantum rubicundæ uidentur, at ſi flegmaticæ ſint, baurachinæ, ſubalbidæ, & profundæ, mẽbrumq; quadam cum tenacitate amplectuntur, Si melancholicæ, cum duricie quadam & tenſione in membro fixa profundantur, & liuiditate quadam aſſociantur carnoſa & calloſa, qua atra bilis dignoſcitur manifeſte, qua mediante puſtulæ tardæ difficiliſq; curationis efficiuntur, hac de cauſa inter iſtas puſtulas quidam ſunt gradus, nam melancholicæ difficilius q̃ flegmaticæ ſanantur, & phlegmaticæ difficilius q̃ cholericæ, Et ſic de alijs dicendum eſt, etiam ſi ex pluribus humoribus compoſitæ uideantur, Et quia huiuſmodi puſtulæ interdum facile interdum difficulter curantur, ac etiã frequenter recidiuam petunt, quum in facie apparent, tunc ne fœdis cicatricibus facies deturpetur, ſingulas puſtulas ſingulis remedijs exiccare tutiſſime poteris, tum quia uni-

uerſalia præceſſere, tum ob prædictas rationes bis in die il-
las madefacto cum aqua noſtræ deſcriptionis. Recipe ſu-
mach, fructus tamariſci, thuris, maſticis ſingulorum dra-
mam unam, tartari uini rubei dragmas duas cum dimidia
ceruſæ dragmas duas, ſublimati puluerizati, grana tria,
uel loco ipſius ſublimati ponatur aluminis dragma ſemis
aquæ plantaginis, & roſarum ſingulorum unciam unam cũ di
midia, ſucci limonũ maiorum unciam unam, bulliant ſimul
lẽto igne i uaſe uitreo ad unius quartæ partis cõſumptionẽ
& clarificetur, & colletur, & ea utaris aqua audacter, uniuerſas.
n. puſtulas in quocũq; mẽbro exiſtẽtes exiccabit, & curabit
ſi uero hæc aqua non ſufficiat puſtulis curandis, citiuſq; te
expedire uolucris, ob ægrotãtis moroſitatem condimentũ
ex noſtra deſcriptione adhibeas Recipe albumen unius oui
recentis, agitetur deinde adde ſublimati in puluerẽ redacti
grana tria, agitentur iterum ſimul donec unguenti formam
ſuſceperint, tũ puſtulas illinito biduo uel ad ſummũ triduo
& curabuntur: & cum in declinatione fuerint hoc oleo inungã
tur, tum puſtulæ, tũ partes circumſtantes, nam maculas fœ
das in mẽbro fieri prohibebit, & ſiquæ ſunt in cute, deſtruet,
ita ut nullum earum in cute ueſtigium remaneat, Recipe tar
tari cõbuſti, & in puluerem redacti libras duas ponatur in pã-
no lineo ſuſpendaturq; in loco humido ſubterraneo, ſuppo
ſitoq; uaſe in quod decidant guttæ deſtillantes ex ipſo pan-
no lineo, & oleum in uaſe uitreo ſeruato, biſq; indie maculas
ac ueſtigia a puſtulis derelicta illinias, nec non & ipſas puſtu
las, quæ quoties recidiuantur toties eiſdem remediis curen
tur, quod ſi utilius uidebitur ut puſtulæ extra cutem pellan
tur, humoreſq; ad cutim ipſam attrahere cupis, ueſcatur eger
aſſidue herba ſtella ſatis nota uel in ferculis, uel ex ea ſuccũ
bibat, uel crudam mandet cũ aceto paſſulato, uel quouis
alio modo, ſemper aliquibus euacuationibus intermediis,

quod ſi

quod ſi copiam uarietatemq; medicinarum abhorreat, ta-
lem præbeas infuſionem uſitatam, & a communi medico℞
ſchola approbatam. Recipe quatuor florum cordialium, ſe
ne, florum fumiterræ ſingulorum pugillum ſemis, poſipodii
quærcini conquaſſati dragmam unam, infundātur in aqua
lactis libræ unius, ſucci cicoreæ, lupulorum, & fumiterræ
purifi catorum ſingulorum unciam ſemis, uel ferueāt ſimul
& doſis ſit ſemilibra in mane ſemel uel bis in ebdomada.

❡ De curatione Socratis Oris ulcera patientis.

VLcera oris quæ per ſua dignoſces ſigna, difficillimæ cu
rationis exiſtunt, ut refert Galenus, quia locus calidus
eſt & humidus, putrediniq; paratus, & corroſioni, tum ét
quia loci ineptitudo medicaminum coherentiam prohibet,
Et ob ſaliuæ commixtionem ulcera profundiora fiunt, quæ
quum fixam habent cauſam, eorumq; corroſionem ac deā-
bulationem cum duricie, & liuiditate baurachina ſiue me-
lancholica cōſpicies, his utaris uniuerſalibus pillulis ſcilicet
fumiterræ, aggregatiuis, fœtidis, & ſimilibus exempli gra-
tia, Recipe pillularum fumiterræ dragmam unam, pillula-
rum aggregatiuarum ex inuentione noſtra dragmam ſe-
mis formentur pillulæ ſeptem cum confectione amech, &
deaurentur, & poſt duas horas aſſumptionis pillularum ac-
cipiatur apozima. Recipe diabugloſati, uel mannæ electæ
uncias duas aquæ ordei uel bugloſſæ quantum ſufficit diſ-
ſoluant', & fiat potio, q; ſi cauſæ cōiunctæ mala cōplexio ca
lida cū duricie uiget, tunc uenæ ſub lingua incidendæ ſunt,
mala item complexio calida duricieſque illa remittenda
& reſoluenda tali gargariſmo. Recipe quatuor florum cor
dialium, ordei ſingulorum pugillum unum, ſebeſten, iuiuba
rum ſingulorum numero decem, paſſularum enucleatarum
unciam unā, ferueant in aqua pluuiali, & aqua plantagi

 nis partes

nis partes equales in quorum collatura & ſufficientia libræ
unius cũ dimidia, diſſolue pulpæ caſſiæ nouiter extractæ ꝑ
ſetã dragmas duas cũ dimidia, rhodomellis zuccarini dia-
moronis ſingulorum uncias duas miſce & fiat gargariſmus.
facta digeſtione cauſæ coniunctæ, ac remota mala comple-
xione aliqua ex parte ad fortiora mundificantia deuenias.
Recipe fructus tamariſci copularum glãdium, roſarum in-
completarum cum ſuis ramis, myrtorum ſingulorum drag
mas quatuor, ordei pugillũ unum, teneritatum rubi & oli-
uarum ſingulorum manipulum unum cum dimidio, ferue-
fiant in aqua pluuiali & uino albo aromatico, in quorum
collatura & ſufficientia librarum duarum diſſolue aceti ſquil
litici unciam unam, oximellis ſquillitici unciam unam cum
dimidia, rhodomellis uncias duas miſce & fiat gargariſmus,
quæ ſi in mundificando minime ſufficiunt, inuolue cotum
in cuſpide inſtrumenti argentei uel lignei, & dictum cotum
ita inuolutum madefac in aqua noſtra dicta in Capitulo de
Socrate patiente puſtulas morbi gallici, bis uel ter in die
oris ulcera tangendo, tali nanq; aquæ adminiſtratione tute
ac celeriter ulcera mundificabis: In declinatione autem ulce
rum oris talem adhibeas gargariſmum exiccantẽ ac conſo-
lidantem & membrum ſuſcipiens confortantem. Recipe ſu-
mach unciam unam cum dimidia, nucum cupreſſi uiridiũ,
balauſtiarum arabicarum conquaſſatarum ſingulorum nu-
mero quinque, aluminis dragmam ſemis, roſarum myrto-
rum ſingulorum pugillum unum, bulliant in uino rubeo
aromatico & aqua pluuiali uel aqua plantaginis partes
equales, in quorum collatura & ſufficientia librarum dua-
rum diſſolue diacaridion, ſyrupi myrtorum ſingulorum un
cias duas cum dimidia, miſce & fiat gargariſmus, Si uero
puluerem aliquem in ulcus cum cannulo inijcere uelis, hunc
per me probatum puluerem mundificantem adhibeas. Re.

aluminis

aluminis zuccarini dragmam unam, ſanguinis Draconis dragmas duas, balauſtiarum dragmas quatuor, in pulue- rem minutiſſime redigantur & miſce.

De Caſu Pilorum.

QVoniam ab hoc morbo alienum non eſt, ſæpe pilo- rum caſus inducere, corporaq; humana moleſtiſſi- me deturpare, conſentaneum pro communi omnium ſalu- te fore cenſui, membris ab huiuſmodi morbo male affectis, ab corũq; pilis denudatis aliqua præſentanea medicamen- ta adhibere, hanc uidelicet infraſcriptam decoctionem. Re- cipe ſene manipulum unum, radicis lampacij acuti unciam unam, florum roris marini manipulum unum cum dimidio omnium ſimul fiat decoctio. Aqua etiam decoctionis fœnu grœci calido actu adhibita & embroccata, necnon & leſciui um cum eodem fœnu grœco decoctum mirifice conferunt, pinguedo item ſerpẽtis uel talpæ leproſos illos ſuccos lenit & curat, capillorumq; caſum prohibet, & delapſorum ortũ accelerat, uel uinum nigrum cum aloe decoctum idem ope ratur. Medicamen inſuper capillorum caſum prohibens, euulſoſq; regenerans. Recipe laudani, ſucci myrtillorum ſin gulorum unciam unam, papaueris nigri, ſpicæ nardi, capil- lorum ueneris ſingulorum manipulum unum, ciperi, corti- cis pini, ſeminis appij ſingulorum ſemi uncia, olei ſiſamini, olei myrtini ſingulorum libram unam, terantur & ferueant in duplici uaſe & collentur, & collatura uſui reſeruetur. Aliud idem obtinens. Recipe abſintij uiridis manipulum unum, corticum auellanarum uſtarum uncias duas, cum oleo myrtino ferueãt & collentur, locuſq; a pilis denudatus actu calido inungatur. Nec prætermittatur regimen diateti cum & pharmaceticũ aut phlobothomia pro noxij humo ris exigentia, ſyrupuſq; noſter de polipodio prædictus miri- fice confert frequenter ſumptus.

De fiſſuris ſerpiginoſis ma-nuum & pedum.

SErpiginoſæ manuum & pedum fiſſuræ, quæ a baurachina pituita uel aduſta cholera frequenter ortum habent, ob fortem epatis aliorumq; membrorum uirtutem expulſiuam, Epatis ipſius mala complexione prius alterata, ac pro noxíj humoris exigentia, digeſtione euacuationeq; adhibita cum noſtro præcipue ſyrupo de polipodio dicto in capitulo primo, nec non optimo regimine diathetico, fiſſuras & calloſas ſquamas tali decoctione bis in die madefacies. Re. radicum altheæ præparatarum, maluarum cum radicibus ſuis, foliorum uiolarum ſingulorũ manipulum unum, cum capite arietis & ſæpi arietini ſemilibra ferueãt ſecundũ artẽ, Et collatura utaris modo prædicto. Poſt uero dictã balneationem cum panno ualde aſpero tandiu fiſſuræ fricentur, donec ſanguis excaturiat, Hoc autem peracto ſingulas fiſſuras cum aqua dicta in Capitulo de Socrate patiente puſtulas madefacto, eundem ſcilicet modum applicationis aquæ obſeruando, ſic etenim digeſtionem ac mundificationem per menſem perficies, In declinatione autem tali lauacro fiſſuras ipſas lauabis. Recipe Stipitum caulium ueterꝝ manipulos duos, auripigmenti ſubtiliter cribrati uncias duas, pinguedinis equi ſemilibrã ferueãt in aqua fontis ſecundum artem, Poſt autem egreſſionem a balneo tali puſtulæ linimento inungantur. Recipe olei ſiſamini ſemilibram uel olei amigdalarum dulcium polipodíj quarcini recentis & conquaſſati uncias duas cum dimidia ferueant ſecundum artem & collẽtur. Deinde Recipe litargiríj aurei, antimoníj, plumbi uſti, ceruſæ, thuciæ præparatæ cum uino albo ſingulorum ſemiunciam, ſucci radicis lãpacíj acuti, ſucci celidoniæ ſingulorꝝ unciam unam cum prædicto oleo in mortario plumbeo ad formam unguenti redigantur, Quod ſi

dicto unguento

dicto unguento ſublimati grana quinque uel ſex addantur tutiſſime curabit, fiſſuraſq; penitus delebit, Et quoniam huiuſmodi fiſſuræ paratam habent recidiuam, quotiens recidiuātur totiens cura hæc & uniuerſalis & particularis reiteretur, donec ad optimam ualitudinem ægrotus reducatur.

¶ De curatione Socratis prædicta Sympthomata morbi gallici recentis quæ curationem non ſuſcipiunt a prædictis medicinis.

QVum uero ulcera oris & mentulæ ſeu puſtulæ a præfatis medicinis alleuiationem non ſuſcipiunt, cum morbus recens exiſtat, immo in deterius in dies labuntur, Et capitis aliorumque membrorum dolor aduenerit, tunc ad curam ligni ſancti confugias.

¶ Cholericus iuuenis uel ſanguineus cibetur initio curationis dieta regulari, a ſtatu aūt uſq; ad finem dieta ſit reſumptiua, ab initio uſq; ad augmentum fiat pro eo ſyrupus ex ligni ſemilibra, aquæ libris decem ferueat infuſio in fictili uaſe donec ad libras quinq; redeat decoctio: Aqua ſecunda in potu ex duodecim libris ad octo redigatur. Et ſola huius aquæ ſecundæ potatione curaui Puellā ab hoc prauo morbo cruciatam ætatis duorum annorum in priſtinam ſalutem reſtitutam. Ab incremento ad finem curationis fiat ſyrupus ex libra una ligni duodecimq; libris aquæ, redeatq; decoctio ad octo. Aqua ſecunda in potu ex quindecim ad nouem redeat, ex ſyrupo ſumatur ſemilibra tam mane q̃ ueſperi tota curatione.

¶ Flegmaticus uel melancholicus iuuenis regulari dieta utatur tota curatione. Pro eo Syrupus fiat uſque ad ſtatum ex libra una ligni & duodecim aquæ redeatque decoctio ad libras quinque. Aqua ſecunda in potu fiat ex libris aquæ quindecim quæ decoctæ redant ad decem.

In ſtatu

In ſtatu autem uſq; ad finem curationis in ſyrupo ſit una-
quoq; libra ligni decoctioque in fictili uaſe feruens ad tres
tantum libras redigatur, aqua item ſecunda fiat ex libris
aquæ quindecim, quæ decoctæ redeant ad decem. Quod ſi
Socrates calidæ uel frigidæ cõplexionis in declinatione cu-
ræ aliqua Epatis uel alterius mẽbri ſupercalefactione male
affectus fuerit, tunc eius ſyrupus & aqua ſecunda ad frigi-
dum alterentur, ſcilicet augendo doſim aquæ, & ligni dimi-
nuẽdo, ut de Socrate calidæ uel frigidæ complexionis dico
ætate iuuentutis, ita ẽt & de ſene, niſi q. pp debilem digeſti-
uam, & doſim ſyrupi minuere, & reſumptiuam dietam præ
bere audacius poteris, hoc etiam animaduertendum eſt q. in
curatione prædictorum accidentium, per lignum ſanctum
tali mercuriali unguento uti potes in curãdis ulceribus uir-
gæ hac ſerie, facta prius curatione & mũdificatione ulcerum
mẽtule vlcerũ curatio. mentulam ipſam, inguina ac pecten inungere actu calido.
Nec non & in ulceribus oris collum una cum ſpatulis ſep-
oris vlcerũ curatio. ties de tertio in tertium diem, Et cum gingiuarum excoria-
tio ac copioſus ſaliuæ fluxus affuerit, & ſi in tertio die hoc
contingat, ab ipſa unctione deſiſtere debes, prædictiq; un-
forma ungt. guenti forma talis eſt. Recipe olei camomilini, anetini, lauri-
ni, liliorum cæleſtium, & roſati ſingulorum uncias duas, ter-
bentinæ uenetæ unciam unam, axungiæ porcinæ ſine ſale
clarificatæ libram ſemis, litargirij aurei, ceruſæ ſubtiliſſime
puluerizatarum ſingulorum uncias duas, feruẽat ſimul uni-
co feruore & in remouẽdo ab igne adde cineris uitis, thuris,
maſticis ſingulorum ſemi unciam, Conficiantur omnia ſi-
mul ad formam unguenti, Deinde accipe argenti uiui puri-
ficati ex noſtra deſcriptione & extincti in mortario lapideo
cum terbentina uel oleo roſaceo, donec nullum extet ueſti-
gium uncias tres, ſtoracis liquidæ unciam unam, hoc autem
peracto ipſum unguentum in dicto mortario ponatur, Et

tam diu

tandiu agitetur donec omnia bene conficiantur & eo utaris more artis, uel cum ceræ quantitate ad formam ceroti redigatur, eoq; utaris more artis.

¶ Quæ ſit argenti uiui complexio.

NAturam huius Metalli pſcrutaturus nõ paruas apud Antiquos reperio diuerſitates, Quidã nanq; Autorũ antiquiſſimi frigidum & humidum argentum uiuum eſſe aſſerunt, Alij autem calidum & ſiccum, Galenus nanq; nono de ſimplici medicina nullam de eo refert habere experientiam niſi occidẽtis ſi extra apponatᵣ uel bibatᵣ, ſortitũ tñ litargiriũ, Aui. præterea ſecũdo canone capite ꝓprio frigidũ inquit & humidũ eſſe in ſecundo gradu, Albertus tamen magnus libro tertio metheororum quod proceſſus refert ex materia a generatione mixtorum eſt, quod uapor cõmixtus humido aqueo quod in ſe ſubtile terreum habet reſoluitur & ingroſſatur in ipſo, Et de ſubſtantia ſpirituali fit corpus groſſum & fit quaſi aqua ſicut eſt argentum uiuum, in illo enim humidum aqueum eſt, & quæ ſequuntur, Gulielmus inſuper Placentinus frigidum & humidum cum cœteris argentum uiuum eſſe aſſeuerat, libro quarto, Hermen Alchimiſtarum primum de eo ſcripſiſſe referunt antiqui, ipſumque frigidum & humidum reponere, Arnaldus de Villa noua in roſario Philoſophoꝝ refert argentum uiuum compoſitum eſſe ex terra alba ſulphurea cum aqua clara, Platearius etenim capite de argento uiuo in quibuſdam tamen libris ſubdit, reperitur q; frigidum eſt in quarto gradu, Ex effectu quidẽ eius tale eſſe ꝓbatur, quia eſt ualde actualiter frigidum, Iuber argentum uiuum inquit manifeſtum q; mercurius appellatur, Antiquorum uſu eſt aqua uiſcoſa in uiſceribus terræ ſubſtantiæ ſubtilis albæ tinctæ p calorem temperatiſſimum unita tali unione perminima quouſque humidum cõtemperatur a ſicco, & ſiccum item ab humido,

cap.31 · tra.5. · cap.6 · cap.1.

Ideoq; facile ſuperficiem planã fugit propter ſui aquoſam humiditatem, Qui quidem Autores his fundãtur medijs & primo a denominatione argenti uiui, ydrargeros enim dicit' grœce ab ydror quod eſt aqua & argyros quod eſt argentũ quaſi aqua argenti, ſecundo per eius ſubſtantiam ponderoſam quæ frigiditati magis q̃ caliditati teſtatur, tertio quia in adminiſtratione unguenti ex eo calor naturalis reuocatus ad interiora membrorum ob unguenti narcoticam uim fortis factus eſt ad ſenſibiliter uel inſenſibiliter reſoluendum, ad maturandum uel ad aliquam materiam congelandum, quæ deinde paratam recidiua habet, ut luce clarius patet in actu practico, Præterea actualis eius frigiditas ipſum eſſe frigidũ demonſtrat per quam materiæ de circumferẽtijs ad centrũ repellũtur, ergo eius natura narcotica eſt, ut per eius effectus indicatur p paralyſim & tremorem, Qui quidem calor unitus ac uigoratus ſi per aliquam regionem non excerneret, membrum multitudine materiei proculdubio ſuffocaret:

t.co.43 Quod calidum ſit metallum iſtud Ariſt. quarto metheor. incoagulabilia aũt inquit quæcunq; aut humiditate aquoſa carent, aut non aquæ ſunt, ſed plus calidi & terræ puta mel & muſtum, aut plus aeris ſicut oleum & argentum uiuum.

cap.18. Gal. nanq;. 4. de ſimplicium medicamentorum facultatibus ad hæc inquit, arſenicum Ydrargeros & id genus craſſarum ſunt partiũ ac poteſtate calida. Iſaac aũt iſdrael ita i ſecũdo ſuæ practicæ de medicinis in quarto gradu. Refert argẽtum uiuum calidiſſimum eſt & humidiſſimum in quarto gradu, Et idem Conſtantinus de uirtutibus ſimpliciũ medicinarꝝ,

cap. 5. argentũ uiuum de eis quæ in quarto gradu calida ſunt, enunciat: Raſis aũt ultimo cõtinentis tractatu primo cum Paulo

cap.75. Egenita, refert calidũ eſſe ac corroſiuum, Platearius calidũ inquit & humidũ eſt in quarto gradu Cap. de argento uiuo, Aliabas acutum & comburens eſt argentum uiuum inquit,

Hac enim

Hac enim ratione moti ſunt iſti ueteres Autores, ut conci-
liator differentia. 151, Quod corrodit & mordicat calidum
eſt, argentũ uiuum eſt huiuſmodi igit̃ &c. Praterea diſſoluit
incidit & penetrat, Hæc autem caliditatem teſtantur per ſe
primo, iure igitur calidum argentum uiuum eſſe putarunt
ueteres, Accedit ꝙ humores ſubtiliat atq; calefacit, illoſq;
mobiles redditos ſua acuitate expellit, nunc per os facile
ſputum habentibus, nunc per ſeceſſum mollem habentibus
aluum, Et ſi difficillimum ſit hos conciliare Autores, cum
Doctorum diſcordantia difficultatem arguat, Quod uel
ex parte rei, uel ex parte noſtri modi cognoſcẽdi (ut Philoſo-
phus inquit) contingit, Eſt enim hæc difficultas ueluti pela-
gus, uerũ pro nunc in re tam ardua una cum Cõciliatore di-
camus, ꝙ argentum uiuum dupliciter poteſt conſiderari pe-
nes eius ſubſtantiam duplicem differentem, quarũ una qui-
dem aquea eſt, altera uero terrea ſulphureaq;, Quãtum igit̃
ad partem terream ſulphuream calidum dicitur & ſiccum,
quia ſublimatione eius humidum reſoluitur, & ſic rite ſenti-
unt qui calidum argentum uiuum poſuerunt, Quãtum aũt
ad eius ſubſtantiam aquoſam, quæ ſicut eius materia exiſtit,
quæ ſtatim calido concitato ob imperfectam eius cum ter-
reſtri ſulphureo mixtionem in fumos euaporat, morbos
inducit frigidos: Hæc pro nunc in tanta controuerſia ſuf-
ficiant, Nam alias Deo dante conabimur dicato opere
ueritatem magis inueſtigare.

¶ Nunquid cinaprum idem ſit quod argentum
uiuum ut quidam exitant.

QVoniam aliqui oberrare poſſunt, ut quidam pa-
rum eruditus manifeſte errauit dicens cinaprum
argentum uiuum non, eſſe: fortaſſe ignorans ex quibus

 conficiatur

conficiatur ſimplicibus, Idoneum itaq; putaui in medium ueritatē adducere, & enucleare, atq; ut cœteri ueritatē agnoſcāt. Et quia in libro Seruitoris patet zinzifur ideſt cinaprū ex argenti uiui & ſulphuris partibus equalibus fieri, Quod argētum uiuum ex uero ſulphure nō urente fit, ut Arnaldus
cap.2. de Villa noua in roſario Philoſophorum refert, ibidemq; in-
cap.5. quit, manifeſtum igitur eſt, q̄ argentum uiuum in ſe ſulphur ſuum bonum ac fixum continet, quo coagulatur. Et cum omne ſimile adaugeat illud dicendum puto ob talem ſulphuris commixtionem argenti uiui nō mutari formam intrinſecam, immo eam fortius acui, quia ſulphur quoquomodo præparatur per artificium ſemper comburit & combu-
cap.3. ritur, omniq; in opere nigredinem præſtat. Quare denigrat argentum uiuum per talem ſublimationem, non tamen eius forma mutatur, & q̄ argenti uiui forma non deleatur, nota
cap.4. quæ Arnaldus enunciat, argentum uiuum eſt ſolum quod ignem ſuperat & ab igne non ſuperatur, ſed in eo gaudens amice quieſcit. Eſt nanq; fortiſſimæ cōpoſitionis & naturæ uniformis, quia non ſeparatur in partes, ut nullatenus ſe diuidi permittat. Quia aut cum tota ſui ſubſtantia in igne p̄manet, aut cum tota ipſa ab igne recedit. Quoniam ſua denſitate ac aduſtionis carentia ſui diuiſionem nō patitur, quæ per ſulphureitatem intellige tu combuſtibilem, quam non
cap.2. habet, perficitur. Et Albertus magnus. 4. metheorоꝝ refert, Ydrargenos ideſt argentum uiuum incoagulabile eſſe magis tamen oleum, Siccatur tamen p̄ multam ſulphuris aduſtionem & mixtionem cum ipſo factā ipſum omnino non adurentis niſi cum corillo aduratur, ut experientia docuit Albertum magnum. Quamobrem dicendum puto q̄ cum cinaprum conſtet ex argento uiuo & ſulphure, ſulphur autē aſſeruet potiuſq̄ ut deleat argentum uiuum, Erit n̄ cinapro argentum uiuum actu & in propria forma, licet aſpectum

eius ſulphuris

eius ſulphuris infectio occultet. Nullam igitur eſſe inter illa intrinſecam & formalem diſtinctionem aſſeritur. Nec refert ſi aduerſarius adduceret Albertum magnum. 4. metheoro℞ cap. 2. innuentem, Nota autem ꝙ ſi Ydrargeros ita per calidum exiccetur, poſtea per calidum nō ſoluetur. Et ideo hæc exiccatio potius eſt corruptio argēti uiui ꝙ̃ coagulatio. Exiccatur enim tunc terreſtre quod in ipſo eſt, & ad lateris naturā deducit, & ideo calumnia de prædicto exēplo adducta locum non habet, ſ. ꝙ coagulata quando ſoluuntur, & ſoluta quando coagulantur in eadem ſpecie manent, ſicut æs coagulatum & liquidum in una eſt ſpecie, Ydrargeros autem prædicto modo conſtans non manet ſpecie una, neq; in ciſdem componentibus, & nota ly non manet ſpecie una, illud autem totum quantum ad Alchimiſtas dicitur, non quantū ad medicam artem attinet, quia paulo ſupra in hoc eodem capitulo, ſi bene pōderas, dictum fuit, in operibus aūt alchimicis, & ea quæ ſequuntur.

¶ De malis affectibus & ſubſidijs argenti uiui.

QVoniam argenti uiui nocumentum ut plurimum iuuamento eſt maius. Exordiendum igitur eſt, quæ de eius nocumento Antiqui ſentiunt, Gal. quidem ubi ſupra dixit ꝙ ſi extra apponatur uel bibatur occidit, & Aui. ubi ſupra refert ꝙ frigiditate & grauitate ſua paralyſim tremoremq; inducit, membraq; recta permanent & inflexibilia, auditui obeſt, oris fœtorem parit, uiſum obtenebrat, & cum ſublimatum eſt interficit, quæ ſublimatio pro cinapro intelligi poteſt in ſuo genere, ut intelligitur de albificatione argēti uiui cum calcantho, ut a Seruitore ponitur, & tandem extinctum ſua grauitate interficit. Ipſum enim quod ſibi obuiat ſua grauitate corrodit, Vltimum tamen dictum animaduertas, quia tam extra ꝙ̃ intus intelligi debet, Quod a Dioſcoride apertius declaratur, Si etenim in igne ponatur

deſtruetur, &

deſtruet̃,& fumũ faciet,q omnibus animalibus peſſimus eſt, In hominibus autem ſenſus & uoluntariũ motum deſtruit, Ex quo ſurditas, paralyſis, tremor, uel Epilepſia & per conſequens mors ſequitur, cui fumo quicunq; proximus fiet,mox neruorum & lacertorum,omniumq; membrorum, quæ per motum uoluntarium ſunt compoſita, relaxionem ſentiet,unde pleriq; in paralyſim,tremorem, ſurditatem,animatæq; actionis corruptionem incidunt, nec non & peſſimum colorem ac putridum os, cerebriq; ſiccitatem habent, Hæc Iſaac ubi ſupra, Et nota ly cui fumo quicunq; proximus erit,quia de cinapro intelligit̃, Quod ſiquis obijceret, cur a cinapro accidentia inducta ſeuiora ſunt accidentibus ab argento uiuo, in ſputo.ſ. & oris ulceratione atq; uentris ſolutione, ſi per te ſubtiliatur & acuitur argenti uiui uirtus

cap.12. per ſulphuris admixtionem, Ad quod dico cum Gal. nono de ſimplici medicina,ꝙ cinaprum in ſe aliquid ſtipticitatis habet, per quam materierum excreatio atq; exitus prohibent̃,qua mediãte ſtipticitate ſeuius eſt medicamen, Quod fit cum duplex ſit in argento uiuo ſuperfluitas,una quidem in ipſius profunditate incluſa in principio ſuæ admixtionis ſuperueniens. Altera uero extra naturam ſuæ naturæ & corruptibilis,Quarum iſta non abſq; labore tollitur,altera uero nullo artificis ingenio tolli poteſt, Quare ſulphureitas eius aduſtibilis ignis calcinatione tollitur atq; a corporibus deletur, Et illud ideo quia argẽtum uiuum reſiſtit,& illud,quod ſui natura eſt,ab aduſtione defendit. Hæc Arnaldus de Villa noua in ſuo roſario Philoſophorum, Qui mali affectus a Gulielmo Placentino libro quarto deſcribuntur.

cap.3. ¶Plinius autẽ libro tertio decimo uomica eſt liquoris æter

cap.6. ni,Argentum uiuum omnium rerum uenenum appellatur, Et Aui.fen.7.quarti canonis,Elõga inquit illud in quo ponitur argentum uiuum extinctũ quãtum poteris a partibus ſtomachi & membroꝝ nobiliũ,Quare nõ abſq; ingenti timo

re propinatur

re ꝓpinatᶜ, Platearius præterea capite ꝓprio fumus inquit cap.6.
argenti uiui aſtantibus obeſt, quia neruos remolliendo para cap.7.
lyſim operatᶜ, Serapio aũt de ſimplici medicina, fumus uero cap.85.
eius inquit eſt ualde nociuus, Nã frequens eius uſus neruos
deſtruit, paralyſim inducit, ſenſum aufert, & motũ corrũpit,
Quibꝰ ſane patet, aſſiduus argẽti uiui fumus quantũ obeſt,
Quod aũt argentũ uiuum bezoarticũ ſit medicamen in pra
uum hunc morbũ gallicũ, eiuſq; mortifera accidẽtia, Moder
ni his rationibus eoꝝ infamiã tegere nituntᶜ, nec aliũ habẽt
modũ aliquid ꝑficiendi niſi argentũ uiuum tam in occulto
q̃ in manifeſto fraudulẽter adhibere dicentes ꝙ & ſi argenti
uiui nocumẽta lõge plura ſint quã dicendi copia, tñ eo uti-
mur tanq̃ oium intentionũ curatiuaꝝ ultima, Ad ultimas
enim ægritudines ultimæ intentiones curatiuæ ſunt potẽtes
ut Hypocrates prima aphoriſmo.7. Quod Gal. nono & de
cimo Therapeutices uberius declarauit, ægritudo inquit
quæ nõ habet præter unã uiã ad ſalutem, licet cuilibet ægro
tãti ardua ſit & difficilis, tamen ipſo inuito, oportet ꝙ ꝑ illã
in oibus etiam caſibus tranſeat, Multotiens enim Medicus
rebus cõtra naturã patientis particulæ utitᶜ, ut bonã ualitu-
dinem inducat, utitᶜ nanq; actuali cauterio ac potentiali cre
briſq; inciſionibꝰ & ſimilibus, pharmacho etiã uenenoſo &
ſolutiuo, Ergo & argẽto uiuo utendũ eſt. Quod fugias quã-
tum potes crede mihi, Quod ſi coactus a natura entis ſecus
fieri nõ põt illud adhibeas, ut ſæpius ꝑ multos ãnos exercui,
ſicut unctiões, ſuffumigia & ſimilia, quæ ſunt fugiẽda ligno
ſancto ſubueniente, Hæc de uerbo ad uerbum de mente
Antiquorum de natura argenti uiui atq; de cinapro nec nõ
& de bonis & malis eorum affectibus uolui dixiſſe.

De mũdatiõe argẽti uiui ut minorẽ mẽbris inferat læſionẽ.

VNaquæq; profecto medicina Et quæ ſordida præſer-
tim eſt & feculenta acuitateq; non carens ab extra-
nea ſi qua in ea eſt qualitate pœnitus mundari debet,

Ab argento

Ab argento igitur uiuo omnem ſulphureitatem omnemq; plumbeam terreitatem auferri, ipſumq; ab omni imperfe-ctione præparatione quadam expoliari fas eſſe iudico, Vt ualidiorem ab ipſo ſubtiliationem ac penetrationem in cu-randis morbis expectemus, minoriq; ipſius doſi eos com-modius curare ualeamus, Hæc autem mundatio dupliciter ſublimatione. ſ. aut aceti lauacro fieri poteſt, Non enim eo-dem modo argentum uiuum ſublimatur, Vt ab Alchimiſtis fieri ſolet. Sed ſolum ac impermixtum argentum uiuum in uaſe uitreo reponatur, bocciaq; deſuper tortuoſa remittat̃, obturatiſq; fiſſuris luto ſapientiæ, lentoq; igne calefaciendo partes ipſius ſubtiles ueluti fumus uolando diuidentur, late ribusq; bocciæ remittentur, Depoſito deinde uaſe ab igne iuncturæ ipſæ aperiantur, Eaq; argenti uiui pars bocciæ la-teribus coadherens diligenter remoueatur, uſuiq; reſeruetur, Id autem ego matellis uitreis, ut de boccia dictum eſt, effeci. Mundificatur autem & ſecundo argentum uiuum per aceti
cap. 71. lauacrum, Vt Geber libro tertio, In patella. ſ. uitrea uel lapi-dea fundatur, acetoq; fortiſſimo cooperiatur, atq; lento igne calefiat, digitisq; tandiu agitando donec in partes diuidat̃ minutiſſimas, acetumq; euaporatione conſumatur, Deinde toties cum aceto abluatur, donec terrietatis ueſtigium non appareat, ac in cœleſtem colorem deueniat, Huiuſmodi enim argentum uiuum eligas, nam mea quidem ſententia unica iſtius argenti uiui uncia ita depurati alterius non pu-rati duabus equiualet uncijs.

¶ De Artuum dolore morbi gallici inueterati.

cap. 2. DOlor qui triſtis eſt ſenſatio, ut Gal. de Interioribus ſecundo facta ab aliquo ſoluente cõtinuum, qui ſiue morbus ſit materialiter ideſt quandam fixionem habens, & permanẽtiam ſuſcipiens, Siue formaliter accidentis nomen ſibi uendicet in alteratione omnimoda exiſtens dolor, Ad

quem ſequatur,

quem ſequatur, torpor, ſtupor, dormitatio, congelatioue. Quæ omnia in ſpeciebus omnibus doloris gallici morbi comperta eſſe uidimus, Cuius cauſa medice loquendo duplex eſt cum Gal. ſecundo regiminis acutorum, ſubita. ſ. cõplexionis alteratio & ſolutio continui

❡Cum igr̃ is morbus iam inueterauerit nec alia illi remedia ſubuenerint, & auulſa quantum fieri potuit cauſa morbi & noxio humore, ligni ſancti curatio adhibeat̃ ad hũc modũ.

❡Cholericus iuuenis uel ſanguineus cibetur tota curatione dieta regulari. Pro eo fiat ſyrupus tota curatione ex ligni libra una, aquæ libris duodecim, fiat infuſio p diem naturalem, ferueatq; in fictili uaſe donec ad libras quinq; redeat decoctio, ex qua ſumat̃ ſemilibra tam mane q̃ ueſperi, Aqua ſecunda in potu ex uiginti libris aquæ ad decem redigatur.

❡Flegmaticus uel melancholicus iuuenis dieta regulari utatur tota curatione. Pro eo ſyrupus fiat ex libra una cum dimidia ligni, aquæ quatuordecim, fiat infuſio, redeatq; decoctio ad libras quinq;, ſumaturq; utraq; potione ſemilibra tota curatione, Aqua in potu fiat ex libris aquæ uigintiquinq; quæ decoctæ redeant ad quindecim. In ſene eadem ſeruanda ſunt præterq̃; dieta reſumptiua cibari debet.

❡Extrinſecus tñ in declinatione curæ mẽbra male affecta hoc unguento linienda ſunt quod mirum in modũ confert. Recipe ſticados arabici, ſaluiæ, yuæ arteticæ, betonicæ, perforatæ, camedreos, ſingulorum manipulum unum cum dimidio, radicis acori unciam unam ferueant in uino albo aromatico ſecundum artem, Et collaturæ adde uermium terreſtrium lotorum cum uino albo libram ſemis, ſtoracis calamitæ contuſi uncias tres, axungiæ porci depuratæ & ſine ſale libram unam, olei laurini, olei anetini, maſſicini, olei thuris, ſpicæ, olei antiqui centum annorum ſingulorum uncias tres cum dimidia, olei roſati, butyri recentis ſingulorum uncias

quatuor,thuris uncias duas,euforbij unciam ſemis,ferueant lento igne ad uini conſumptionem,deinde adde terbentinæ uenetæ, olei abietis ſingulorum uncias duas, litargirij aurei ſubtiliter cribrati librã ſemis, ſtoracis liquidæ uncias duas, thiriacæ antiquiſſimæ unciã unam,cineris uitis unciam ſe/mis,minij uncias duas & ſemis,argẽti uiui uolati ut capituli deſcriptio expoſcit & extincti cũ oleo roſaceo in mortario lapideo uncias duas, cõficianturq; ex arte & fiat unguentũ.

¶De ſcliroſis tumoribus

DVricies quæ ex materia contingit melancholica uel aliunde, Aliquando in carne tantum,aliquãdo in oſſe tantum exiſtit uel ex his compoſita,Quæ oſſuoſa eſt & diffi cilior uentoſitas ſpinæ in potentia denominatur, prout ſub forma pmanet apoſtematis, cuius finis eſt oſſis corruptio, Quæ tripliciter fieri contingit ut triplex eſt dimenſio, Alia nanq; oſſis corruptio ſuperficialis tãtum,alia profunda tã/tum,Et quædam ſuperficialis eſt & profunda ſimul. Cuius additio unam oſſis partem poſt aliam corrumpit ut Auic.
tra.4. cap.9. quarta quarti. Cuius ſignum eſt q; reſolutis partibus ſubti/libus circumferentiarum oſſis alterati aſperitas in tactu & inequalitas ſcopuloſa ſentitur, cuti ſana exiſtente ac ſuam continuitatem ſeruante. Necnon & dolor pungitiuus adeſt in compreſſione cum digito propter oſſis aſperitatis mor/dicationem. Cum igitur duricies iſta inueterauerit,nec alia illi ſubuenerint remedia, diminuto prius humore noxio & cauſa ipſius morbi curetur per lignum ſanctum ut de artuũ dolore morbi gallici inueterati dictum eſt. Linianturq; tu/boroſitates per quindecim dies unguento dicto capite de ſtrumulis ſeu ſcrophulis Puerorum.

¶De alguatui curatione.

EAdem eſt ratio curationis Alguatui,prout eſt ſepara/tio contiguitatis oſſis integra ſecundum locum & non

ſecundũ ſitum à ſuo naturali loco deſcendendo ſecundũ lõgitudinem membri: Vt de ſcliroſis tumoribus dicitur.

❡De ulceribus corroſiuis, ſordidis, fraudulentis & oſſis corruptione morbi gallici inueterati.

DE ea propria ſolutione cõtinui carnoſa & ſanioſa intelligo, prout morbus compoſitus dicitur, in qua una uel plures diſpoſitiones exiſtunt, quæ ulcerum cõſolidationem impediũt, cuius compoſitio ſiue a cauſa ſit, ſiue ab accidente, uel a morbo præcedente, diſcurrendo per ſingulas ſpecies ulcerum eſſentiales uel accidentales. Quantum fieri poterit amoueatur a perito Chyrurgo cauſa illa coniuncta cauterio actuali uel potentiali pro corroſionis uel corruptionis exigentia uel quouis alio inſtrumento artis. Diminuto ſemper prius humore noxio ligni ſancti curatio adhibeatur ut de Artuum dolore morbi gallici inueterati dictum eſt, & ut ulcerata mẽbra curationem ſuſcipiãt certiorem, foueãtur liniãturq; unguento dicto capite ſeptimo huius tertij libri.
❡Quod ſi oſſis corruptio appareat abradatur uſq; ad oſſa ſana oportunis inſtrumentis raſpatorijs, Nec te terreant dicta inſciorum dicentium cum principe. Melius eſt enim ut non feſtinetur in extractione oſſium uiolenta & quæ ſequũtur, Verba inquam Auic. intelligi debent de illa praua extractione, & uiolẽta oſſium uulneris dilacerando. ſ. neruos & uenas & oſſis maiorẽ partem ſanã q̃ corruptã diſſipãdo, quæ incõgrua dicit᷑ opatio. Quare melius eſt cũ Aui. ubi ſupra, corruptionis oſſis curatio, eſt eius fricatio, & ipſius deſtructio aut eius abſciſſio & ipſius ſerratura. Præſtantiorq; modus fricatio cum raſpatorio dicit᷑, Qua ablata per lignum ſanctum curetur curatione prædicta ulcerum uniuerſalibus & particularibus.

4.4. trac.4. cap.13.

cap.2.

❡De uini exhibitione a Neotericis nuper comperta. Cap. I.

CVm ſcientiæ atq; artes per additionem augeantur ac quotidie utiliſſimarum rerum inuentione perfectiores fiant, ad idq; iudiciũ & ſtudium hominis plurimum ualeat, Propterea multum operæ curæq; ponẽdum eſt, quo ea inueſtigari poſſint quæ læſis corporibus aliqua ex parte profutura ſint, Eius modi eſt lignum quod uocãt ſanctum cuius uiribus indagãdis inſiſtimus huicq; rei omni ſtudio operam damus, quamuis eius uires longe plures ſint, q̃ quiſq̃ dicendo ſcribendoq; conſequi poſſit. Et quoniam experimentum ſi ratione comprobetur ad ueram rerum ipſarum cognitionem nos ducit, non inutile fore exiſtimauimus ſi cum uini adminiſtratione ligni quoq; decoctionem miſcebimus. Cõpertum eſt enim multociens penetrationem efficacius fieri, ac uinum non modo ligni huius ſed multoꝝ quoq; medicamentorum tanq̃ uehiculum eſſe, quamobrem opere præciũ duxi in calce huius opuſculi pertractare, utꝝ uinum an aqua humanis corporibus magis conferat. Tum ſiquis ex ueteribus medicis in alicuius morbi curatione uino in quo ſimplicia aliqua ſint decocta, uſus fuerit, Præterea utrum uinum aquæ anteponendũ ſit. Necnõ quod uinũ ſit eligendũ atq; alia eius generis quæ a præſenti materia nõ fuerint aliena.

❡Quod curandis morbis uinum conferat & ab antiquis excitatum ſit. Cap. II.

MEdicinæ quæ tardæ ſunt operationis ſi in uinum infundantur uigorem ſumunt, acuunturq;. Neq; ab re ſapiens Abinzoar dixit nec cibum nec medicinam uino unq̃ priuari debere. Meſue etiam pro meliori præparatione reubarbarum molliendum iuſſit. Ingenium inquit medici ſit ut ſapor medicinæ in cibariorum guſtum conuertatur, tunc

enim natura auidius medicinam amplexabitur, Cuiuſmodi eſt uinum, Quapropter non temere recentiorum non nulli ægrotis multifariã uinum in quo ſimplex aliquod ſit decoctum propinant, Nam ſicuti Aui. 2. canone uinum ex hyperico confectum perforatum uocant uel ex Chamedry artuum paſſionibus conferre aſſerit, ſic non nulli etiam noſtrorũ temporum docti uiri uinum præbent, interdum ex ſaluia, uel ex enula, uel ex bugloſſa, uel quod ex roſis, ex ebulis, ex gramine, ex gariofilis, ex abſinthio conficitur, aliaq; eius generis quamplurima quæ laxandi uim habeant.

¶ Nunquid uinum an aqua magis conferat & quibus ægrotantibus præbendum ſit. Cap. III.

NAm uinum cum primis ſimile eſt caloriq; innato maxime conuenit in adminiſtrãdis nutrimentis naturæ hominum, aquã uero corpus nõ tolerat niſi ualde ſanguineum ut Aui. 3. primi, ac præterea quis neget uinum ſua penetratione, ſpirituumq; uiuificatione confortatiuum eſſe, frigiditas enim & ſiccitas ſpiritibus eos debilitando aduerſantur, uini uero caliditas corroborando non mediocre ipſis affert auxilium, ad tranſmittendas autem rerum in eo incorporatarum uirtutes per ſingula membra cum quadam naturæ delectatione & apprehenſione nec ſui uehemẽti fortitudine qualitates actiuas earum medicinarum quæ in uino exqualificantur ad reſolutionem præparat cũ ſua ſubtilitate partes adeat longinquas aquam ſecum trahens ad membra refrigeratione pariterq; humectatione indigẽtia. Et receptiuũ eſt omnis infuſionis bonarum qualitatum in rectificatione ut plurimum malarum, cum per eius eſſentiam ad ſpiritum habeat conuerti, magiſq; penetratiuum ſit ac ſpiritibus proportionatum, Quadere ubi uirtutis imbecillitas, appetituſq; deiectio affuerint, ægreq; uentriculus concoquat, uinum eligendum eſt

cap. de regi. aquæ. 2. vini.

vt Arnal de Villa noua.

gendum eſt

gendum eſt,inſuper ſi ægrotans flegmaticæ ſit complexio-
nis humorq; pituitoſus uel melancholicus ſit, uel ſi inuetera
tam morbus radicem habeat in his omnibus uinũ utile ad-
modum eſt, quod ſi cholericæ ac ſanguineæ complexionis
calidiq; epatis fuerit,atq; etiã ſanguis uel ſuccus biloſus for-
tiſq; habitudinis ſit, in tempore præſertim calido tũc aquæ
decoctũ, lignũq; ſimpliciter exhibitũ mirũ in modũ ꝓderit.

¶ Quod in ligni ſancti decoctione cũ uino miſcen
da ſint alia ſimplicia. Cap. IIII.

MEdicæ artis peritis omnibus patet, ſingulis membris
ſuum eſſe appropriatũ ac determinatum pharmacũ,
cumq; ab eiuſmodi morbi prauitate ꝙplura mẽbra lædã
tur ac uicium cõtrahant,credibile quidem erit ſolam ac im-
permixtam ligni ſancti decoctionem tot membrorum læſio
nes adimere nõ poſſe, Quare ut ligni ſancti uirtus ad huius
modi membra dirigatur,medicinæ mẽbra infecta reſpicien-
tes commiſcendæ ſunt,ut ligni ſancti uirtus ipſarum medi-
cinarum ſuffragio ualidius ſalubriuſq; ſuas imprimat uires,
digerendo ſcilicet,mundificando,reſoluendo, confortando
& deſiccando ut decet morbum.

¶ Quod uinum eligendum ſit. Cap. V.

ysaac de dietis par. CVm diuerſæ operationis ſit uinum,diuerſarumq; qua
litatum,infrigidata enim corpora ſenum & iuuenum
calefacit,calefactaq; infrigidat,exiccata humectat,& hume-
ctata exiccat, eius modi eligendum erit, quale mox dicam,
anni unius uinum frigidũ eſt & humidum,Vetus uero quod
a quarto in ſeptimum traſcendit annum calidum & ſiccum
in tertio reponitur gradu,inter hæc aũt medium calidum eſt
& ſiccum temperate, & huiuſmodi quidem uinum cholerã
nigram ſua calefactione & humectatione temperat,& præ-
Auer. 6. col. ſertim ſi ſecundum non excedat annum,reſiſtit etiam melan
cholicis a tota ſpecie calefactiſq; non obeſt, uinum inquit

Aui.album

Aui. album & ſubtile calefactis confert, capitis enim dolo- rem non efficit, id prætera uinum cholera abundãtibus ru- bea melius eſt, eo quod choleram rubeam urinam prouocã- do expellit, & humidis eo quod humiditates maturat, huiuſ modi etiam uinum non modo naturalem calorem confor- tando iuuat, uerũ etiam turbidi ſanguinis claritatem redu- cit, Quãobrem album & ſubtile eligatur, ætate quidem me- dium, colore uero purum ac lucidum, odore uero ſuaue, in guſtu non aquoſum omnino nec aliquã uehementem oſten dens qualitatem ſtipticam uel amaram uel dulcem, quod ſi morbus frigidus eſt & antiquus, corpuſq; frigidum ac op- pilationibus male affectum & maiori penetratione ac inci- ſione indigens, tunc uetus uinum eligatur.

3.1. cap. de regi. aquæ.2. vini.

.3.teg. tex. ulti.

¶De uini præparatione & regulis in ea obſeruandis. Cap. VI.

EAdem quoq; ratione uini præparatio canonice confi- ciẽda eſſe debet, ut de decoctionis exhibitione diximꝰ, eamq; in omnibus ſeriem obſeruabis, unũ enim pharmacũ omnibus nequaq̃; conuenire poteſt, Quadere cum uini de- coctionem præbere inſtitues, decoctionis ligni ſancti aquã, illiuſq; morbi curationem & capitulũ a capite ad pedes in- uenies, ac illius aquæ & ligni graduationẽ quã ibi deſcripſi- mus exequere, in fineque cocturæ oportunas medicinas arteq; decoctas ac pro illius morbi & membri læſi exigentia adhibebis, ut exemplariter illas diuiſim connumerabo in.2. conſideratione. Hoc autem peracto in uaſe fictili uitreato ligni abraſi libram pones, ibiq; uini albi clari libras decem iniicies, quibus mixtis decoctionem prædictam pro morbi & indiuidualis complexionis exigentia partibus equalibus cum uini quãtitate calidam ut ab igne deferens adiicies, fa- ctaq; mixtura nec aliter ferueant, ſed per diem naturalem infuſio fiat, & collaturã uſui reſerua in curatione ꝑ ſyrupo

ſcilicet mane

ſcilicet mane & ueſperi & pro potu in prandio & in cœna, remiſſa enim decoctionis caliditas ipſorumq; ligni & aquæ iam temperata graduatio igneas uini, ſi quæ ſunt qualitates extinguet, ne humanis calidæ complexionis corporibus obſit, Et ut lucidior Tironibus doctrina ſit ſequentes ponuntur conſiderationes.

.1. ¶ Conſideratio eſt quod in uini aſſumptione, in qualibet decoctione corticis ligni ſancti ſubtiliter cribellati quatuor adhibeantur unciæ, ac ſimul cum ligni ſancti doſi adnotata ferueat ut capituli deſcriptio expoſcit.

.2. ¶ Conſideratio q; ſi epatis uitium in cauſa morbi ſit calidũ, ſimplicia eius caliditatem adimentia eliges, endiuiam. ſ. cicoream, fumũterræ ſandalos omnes & id genus eligendo, eaq; in fine cocturæ ſemper appones, & ſi aliqua obeſſet oppilatio, aperitiua eodem modo adhibeantur.

¶ Si autem cerebri læſio frigiditatiſq; mala affectio adſit, ſticados arabicum uel non arabicum, betonica & huiuſmodi calida frigidaq; pro morbi exigentia apponantur.

¶ Quod ſi iuncturæ dolore uel aliqua hebetentur duricie, yua artetica, radix acori, ſticados ac perforata adhibeãtur.

¶ Si uero præcordia male affecta ſint, bugloſſa, borrago, ipſarumque radices, enula campana ſcabioſa & id genus in fine cocturæ ſunt admiſcendæ decoquendæq;, Deinde ipſa decoctio in uino prædicto iniiciatur.

.3. ¶ Conſideratio in qualibet uini præparatione in morbo quolibet gallico præſertim curando ob ſui antiquam contagionem, cardi benedicti manipulum cum reliquis ſimplicibus membra confortantibus infecta addatur.

.4. ¶ Conſideratio, in unaquaque ipſius uini adminiſtratione ſupradictæ decoctionis eadem ſit doſis cum uini quãtitate.

.5. ¶ Conſideratio q; in ipſius uini exhibitione morbi non uniformiter in eodem temporis ſpatio curantur, quidam enim

quindecim aut

quindecim aut uiginti dierum ſpacium exigunt, non nulli quatraginta incluſiue, multi etiã ſpatium hoc traſcendunt. Huiuſmodi autem diuerſitas contingit iuxta morbo℞ qualitates, multum enim intereſt utrum morbus calidus uel frigidus ſit, antiquus uel recens, pariq; modo cõſideranda ſunt ea corpora quæ mediocriter ſe habent.

¶ Conſideratio ꝙ in hac uini aſſumptione tempus purum ac temperatum eſt eligendum: Ver quidem optimum erit huicq; proximus eſt Autũnus: Aeſtas enim nimis calefacit, Hyems nullam admittit penetrationem, minor itaq; operatio & in Aeſtate & Hyeme expectatur. .6.

¶ Conſideratio ꝙ dieta ſemp utatur reſumptiua cum uini caliditas innatum excitet calorem, eiuſq; digeſtio celerior ac penetratio uelocior efficiatur, humiditatibuſq; reſiſtat, nec aliter cibum appetes, iſto nanq; curationis mõ carne ueſceris mane & ueſperi. .7.

¶ Conſideratio ꝙ ſi aeri æger exponatur incõmodum aliquod non ſubſequitur, ut in decocti aſſumptione contingit, cum uini præſentia unicuiq; putrefactioni extrinſecæ reſiſtere uideatur cuius præſidio ſudandi moleſtiam perpeti nõ cogeris, ad pagendaq; negocia tutius libétiuſq; te cõmictes. .8.

¶ Cõſideratio ſi hora cibi & potus æger huiuſmodi uinum abhorreat ob medicinarum diuerſarum commixtionem, ſic confectam decoctionem alias ſyrupũ ꝑ lãbycchum æreum diſtilla, diſtillatioq; cum uino albo partibus æqualibus commiſceatur, uſuiq; hora cibi & potus reſeruetur. Si uero pauper ac egens fuerit æger, aquam ſecundam pro capituli deſcriptione abſq; alijs medicinis adminiſtres, eamq; uino partibus æqualibus cõmiſcebis, Et hoc quidẽ uinũ æger ab alijs pœnitus liquoribꝰ ſe abſtinendo hora cibi & potus bibat. .9.

¶ Suppoſitio ẽ, ſi uero cholericus uel ſãguineus fuerit æger, & ob eius uentriculi imbecillitatẽ huiuſmõi uinũ exhibendũ 10

eſt, in una tantum parte uini quinq; decoctionis ligni ſancti partes commiſceantur, idemq; fiat in morbo gallico recenti.

11 ¶ Conſideratio ꝙ in principio exhibitionis uini membra dolore tuberculis nodoſitatibuſque affecta præcipue uini prædicti decoctione epythimanda ſunt aſſidue, ſin autem epythimatio nõ conferat in ſtatu curæ dolores lenire membraq; male affecta noſtræ deſcriptionis unguento inungere poteris inde artuũ doloribus capitulo enarrato, ulcera quoq; unguento mercuriali curare tutiſſime poteris ut de prauis ulceribus dictum fuit.

12 ¶ Conſideratio ꝙ in uini aſſumptione humor cualibet hebdomada ut expedit morbo & ægrotãti minorãdus eſt, biſq; die ſyrupum capiat mane. ſ. ſemilibrã calidum tãtundemq; ueſperi quatuor horas ante cibũ, eademq; hora in lecto quieſcat ſudoremq; obſeruet ut ſupra de decoctione dictũ fuit.

13 ¶ Conſideratio ꝙ ſi in uini exhibitione aluum ducere uolueris in decoctione cum aliјs medicinis damaſcena pruna decem numero iniјciantur una cum foliculorum ſene ac polipodiј quærcini ſingulorꝫ ſemiuncia, quæ omnia morbi præſertim gallici curationi pœnitus nõ aduerſantur, Colloquintidam autem agaricum ac diagridium & id genus nõ commiſceas, ut ignari ab omnique ueritate deuiј cum magno ægrotantium periculo faciunt.

14 ¶ Suppoſitio autem eſt quod ſi in declinatione curæ Socratis præſertim ſanguineæ complexionis epar ob uini exhibitionem nimis calefactum eſſet, ipſius epatis uenæ uel hemorroidalium inciſio fiat.

15 ¶ Conſideratio ꝙ ſi aliquando morbus unica decoctionis uiniq; exhibitione curationem non ſuſcipit, huius quidem cauſa eſt, quoniam nõ nullæ ſunt medicinæ calidæ quarum caliditas ab alicuius ægritudinis frigiditate minoratur, quare pœnitus in eam non agit, Et quandoq; cum in aliqua in-

frigidatione

frigidatione adminiſtratur leuiorem illa inducit calefactio-nem. Et quoniam in debiliori iam expertum eſt prius, proceſſioq; ſecundum gradus paulatim facta fuit, medicinæ uirtus cognita eſt, Quare frequens uini atq; decoctionis reiteratio fiat, donec praua morbi qualitas adimatur, ac a medicina morbus ſuperetur, Nec dubites ſi huiuſmodi medicina interdum refrigerare nunc uero calefacere oporteat cum iſta inter ſe ad inuicem contrarientur, medicina enim inquit Aui. in duobus contrarijs experta alteri eorum per ſe alteri uero per accidens confert, uel alicuius eorum complexioni contraria non exiſtit. lib. 2. cap. 2.

¶ Et ne aliquid cõtingat erroris, exemplum habes practicũ, Si enim Socrates capitis artuumq; dolore affectus fuerit, Et ulceribus inſuper maleficis atq; oſſis corruptione, nodoſiſq; tuberculis crucietᷣ ſiue dolore ſcyatico uel podagrico, Eradicata cauſa antecedente ut conuenit morbo, prauaque ulcerũ diſpoſitione ſemota atq; oſſis corruptione hac ſerie ad ipſius uini decoctionem accedendum eſt. In uaſe. ſ. fictili ligni abraſi libram unam cum dimidia ac eiuſdem corticis ſubtiliter cribellati quatuor uncias ac aquæ libras duodecim apponito, lentoque igne ferueant ad quatuor librarum conſumptionem, Exinde uero betonicam, yuam arteticam, cardum benedictum, ſticados, ypericon, ſingulorum manipulum, radicis acori unciam ſemis adhibebis, ferueantq; ad unius libræ aquæ conſumptionem, Deinde in fictili uaſe ac nouo injciantur in quo ligni abraſi libra, uiniq; albi optimi libras. vij. factaq; mixtura uaſe obturato ꝑ diem infundãtur, Et facta collatura per lineum pannum ſtrictum patienti mane ac ſero flegmatico uel melancholico ſemilibra pro ſyrupo tribuatur & hora cibi & potus: In cholerico uero & ſanguineo ligni decoctio adhibeatur ut inde artuum dolore morbi gallici inueterati dictum eſt.

PAVLVS PAPA TERTIVS.

VNiuerſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis ſalu-
tem & Apoſtolicam benedictionem. Cum (ſicut acce-
pimus) Dilectus filius Alphonſus ferrus Neapolitanus Ar-
tium & medicinæ Doctor Chyrurgus noſter opus ſuũ quod
de Guaiaco ſeu ligno ſancto, ac uini propinatione cõpoſuit
pro uniuerſali cõmoditate typis excuſum edere proponat,
uereaturq; ne alij ſumpto poſtmodũ inde exemplo illud im-
primi faciant, & ſic ei laborꝝ & ſtudiorꝝ ſuorꝝ fructum inter-
cipiant, & ,ppterea nobis humiliter ſupplicari fecerit, ut eius
indemnitati oportune prouidere de benignitate Apoſtolica
dignaremur. Nos eius præcibus inclinati uniuerſis & ſingu-
lis extra noſtras & Sãctæ Ro. Eccleſiæ terras & loca ſub ex-
cõmunicationis, in ipſis uero terris & locis nr̃is degentibus
ſub dicta ac ammiſſionis librorꝝ pœnis inhibemus ne dictũ
opus abſq; ipſius Alphõſi licentia infra quinquénium pro-
xime futurum ullo pacto formis alijs excudere aut excuſum
uenundare præſumant. Mandantes omnibus & ſingulis ue-
nerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſco
pis, eorumq; in ſpiritualibus Vicarijs generalib⁹ & in ſtatu
nr̃o Eccleſiaſtico etiã Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus,
alijſq; officialibus noſtris, ut eidem Alphonſo in hoc fauora
biliter aſſiſtentes nõ ꝑmittãt eum cõtra præſentium literarꝝ
noſtrarꝝ tenorem quomodolibet perturbari, ſed eas ei inuio
labiliter obſeruari faciãt, cõtradictores ꝑ cenſuras Eccleſia-
ſticas & alia oportuna remedia appellatiõe poſt poſita cõ-
peſcẽdo, inuocato etiã ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſe-
cularis, nõ obſtãtib⁹ cõſtitutionibus & ordinatiõibus Apo.
cœteriſq; contrarijs quibuſcunq;. Datum Romæ apud
Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris. Die. V. Decemb.
M. D. XXXVI. Pont. Noſtri Anno Tertio.

BLOSIVS.

ALPHONSI FERRI NEAPO-
litani Artium & medicinæ Doctor de ligni
ſancti multiplici medicina & uini ex-
hibitione Liber explicit ſedente
Romæ Paulo . III . Ac
Pontificatus eiuſdem
Anno . III .

Liber Primus Theoricus de ligni ſctī natura & p̄paratione.
Liber Secundus de ægritudinibus a capite ad pedes .
Liber Tertius de morbo gallico .
Liber Quartus de uini exhibitione .

Hoc opere comprahenſorum index.

LIBER PRIMVS.

Præfatio

Cap. 1. De præparatione & adminiſtratione ligni ſancti quod non eadem ſemp ſed diuerſa debet fieri diuerſis morbis & diuerſis diſpoſitionibus.
Cap. 2. Quod ſit lignum ſanctum.
Cap. 3. Quale ſit eligendum lignum ſanctum.
Cap. 4. Cuius naturæ & complexionis ſit lignum ſanctũ
Cap. 5. De proprietate ligni ſancti,& operationibus.
Cap. 6. Quæ permutatio ſit medicinæ ligni ſancti.
Cap. 7. Cur medicinæ ligni ſancti tanta uis eſt in morbis curandis.
Cap. 8. Quod alij morbi quemadmodum gallicus curentur ligno ſancto.
Cap. 9. De loco eligendo in quo curandus eſt æger.
Cap. 10. De tempore anni eligendo.
Cap. 11. De cibatione,& quare cibus exiguus præbendus eſt in hac curatione.
Cap. 12. Cur pane ueſcendum eſt biſcocto potius q̃ alteriuſmodi.
Cap. 13. De medica cibatione, quam di-tam dicunt, & qualis debeat eſſe in hac cura dieta regularis, qualis reſumptiua.
Cap. 14. Quod uariãda dieta eſt rõe uel morbi uel ægroti.
Cap. 15. Quod purgandus eſt æger in curatione ligni ſancti & quotiens.
Cap. 16. A quibus abſtinendus eſt æger ĩ curatione,& quæ ſeruanda.

Cap. 17. De ſudore & quæ in illo ſeruāda ſunt.
Cap. 18. Qua forma conficiatur ligni ſancti medicina.
Cap. 19. Quod lōga mora fieri debeat decoctio ligni ſcti.
Cap. 20. Quomodo præparetur lignum ſanctum ad de-
coctionem.
Cap. 21. Quomodo decoquatur lignum ſanctum, & quot
ſint illius decoctiones.
Cap. 22. An in decoctione ligni, alia decoquenda ſint una
cum ipſo ligno.
Cap. 23. Quod uario gradu & intenſione decoctio facien
da eſt ligni ſancti.
Cap. 24. Quibus horis ſyrupus ligni ſancti ſumendus ſit.
Cap. 25. Quod non eadem ſemper quantitas & qualitas
ſyrupi ſumenda eſt.
Cap. 26. Quid agendum ſit ſtomacho nauſeante.
Cap. 27. Quod intermitenda eſt aliquando potio ligni ſcti
aliquando etiam dimittenda.
Cap. 28. Quo pacto adminiſtretur medicina ligni ſancti
in morbo gallico.
Cap. 29. Quæ poſt curationem ligni ſancti ſeruanda ſunt.
Cap. 30. Quare diuerſæ contingunt operationes ex me-
dicina ligni ſancti.

LIBER SECVNDVS.

¶Prefatio.
Cap. 1. De Cephalea, ſeu Hemicranea.
Cap. 2. De uigilia inmodica.
Cap. 3. De pturbatione intellectus, defectu & ammiſſio-
(ne memoriæ.
Cap. 4. De melancholia.
Cap. 5. De Epilepſia.
Cap. 6. De Paraliſi.
Cap. 7. De ſpaſmo ſeu contractione.
Cap. 8. De fluxu nimio lacrimarum.

Cap. 9. De aurium morbo, auditu uidelicet obtuſo.
Cap. 10. De naſi morbis, polypo uidelicet, aliiſq; ulceribus.
Cap. 11. De linguæ ſpaſmo & ranula.
Cap. 12. De gingiuarum imbecillitate, de fluxu humoris, atq; ulceribus, ac dentium commotione.
Cap. 13. De pectoris morbo aſmate hoc eſt difficili anhelitu.
Cap. 14. De Phtiſi hoc eſt tabe.
Cap. 15. De faſtidio cibi.
Cap. 16. De fœtido ſpiritu.
Cap. 17. De ſtomachi apoſtematibus.
Cap. 18. De iecoris ſeu epatis morbis de carnoſo ac duro apoſtemate.
Cap. 19. De hydropiſi ſeu aqua intercute.
Cap. 20. De morbis renũ, de ueſſicæ ac renum ulceribus.
Cap. 21. De uuluæ morbis, ſeu matricis, de fluxu ex matrice.
Cap. 22. De ſterilitate.
Cap. 23. De cancro in matrice.
Cap. 24. De ulceribus cœteris matricis.
Cap. 25. De Hernia.
Cap. 26. De Elephantia & uaricibus.
Cap. 27. De doloribus iuncturarum, de podagra iſchyadica & ſimilibus.
Cap. 28. De frigidis apoſtematibus, de ſtrumulis, ſeu ſcrophulis Puerorum.

LIBER TERTIVS.

Cap. 1. De Morbo gallico.
Cap. 2. De Socratis curatione uirge ulcera patientis.
Cap. 3. De curatione Socratis morbi gallici puſtulas patientis.
Cap. 4. De curatione Socratis oris ulcera patientis.
Cap. 5. De caſu pilorum.
Cap. 6. De fiſſuris ſerpiginoſis manuum & pedum.

Cap. 7. De curatione Socratis prædicta ſympthomata patientis morbi gallici recentis quæ curatio-nem non ſuſcipiunt a prædictis medicinis.
Cap. 8. Quæ ſit argenti uiui complexio.
Cap. 9. Nunquid cinaprum ſit idem quod argentum uiuum ut quidam exitant.
Cap. 10. De malis affectibus & ſubſidijs argenti uiui.
Cap. 11. De mundatione argenti uiui, ut minorem mem-bris inferat læſionem.
Cap. 12. De artuum dolore morbi gallici inueterati.
Cap. 13. De ſclirofis tumoribus.
Cap. 14. De Alguatui curatione.
Cap. 15. De ulceribus corroſiuis, ſordidis, fraudulentis, & oſſis corruptione morbi gallici inueterati.

LIBER QVARTVS.

Cap. 1. De uini exhibitione a Neothericis nup cōperta.
Cap. 2. Quod curandis morbis uinum conferat & ab Antiquis excitatum ſit.
Cap. 3. Nunquid uinum an aqua magis conferat, & qui-bus ægrotantibus præbendum ſit.
Cap. 4. Quod in ligni ſancti decoctione cum uino mi-ſcenda ſint alia ſimplicia.
Cap. 5. Quod uinum eligendum ſit.
Cap. 6. De uini præparatione & regulis in ea obſeruādis.

¶ Impreſſum Romæ, apud Antonium
Bladum Aſulanum, In Campo
Floræ.

M. D. XXXVII

☙

13360
Dec. 22
Martini

H537
F3882